DELECTUS
OPUSCULORUM
AD PRAXIN MEDICAM SPECTANTIUM

ANTEHAC

APUD GENTES EXTERAS EDITORUM

QUAE

IN MEDICORUM ITALIAE COMMODUM

COLLEGIT

JOSEPHUS FRANK

JOANNIS PETRI FILIUS, AUGUSTISSIMI IMPERATORIS ET TOTIUS ROSSIAE AUTOCRATORIS A CONSILIIS STATUS, EQUES ORDINUM S. ANNAE, S. WLODIMIRI, THERAPIAE SPECIALIS ET CLINICES IN CAESAREA UNIVERSITATE VILNENSI PROFESSOR EMERITUS, PLURIMARUM ACADEMIARUM ET SOCIETATUM MEDICARUM SODALIS.

VOLUMEN SECUNDUM.

NOVOCOMI

TYPIS C. PETRI OSTINELLI

MDCCCXXVII.

HOC IN VOLUMINE CONTINENTUR:

MORBUS

QUEM *RADESYGE* VOCANT

QUINAM SIT QUANAMQUE

RATIONE E SCANDINAVIA TOLLENDUS

COMMENTATIO

AUCTORE

FREDERICO HOLST

MEDICINAE DOCTORE.

INTROITUS.

Morbus, qui serioribus praesertim decenniis Radesyge nomine in peninsula nostra Scandinavica tam innotuit, diu, forsitan semper, Sveciam non minus, quam Norvegiam vexavit. Jam coeli aërisque et soli summa convenientia, intima incolarum victus, quaestuum et coeterorum omnium fere negotiorum, morum et consuetudinum similitudo in eam ducunt opinionem, ut terrae utrique iidem sint endemii morbi; vetustissima insuper documenta, veterum et hodiernorum medicorum effata satis superque docent, hanc aegritudinem fuisse omni memoria in Svecia aeque familiarem, atque in Norvegia (1). Commentatio igitur, quae in

(1) Ahlanderi itaque (Diss. inaugural. de morbo cutaneo luem veneream consecutivam simulante. Upsal. MDCCCVI. 4. p. 3.) et aliorum opinionem, morbum esse e Norvegia in Sveciam translatum, admitti non posse, cuique facile patet.

eo versatur, ut viam monstret atque rationem, qua hanc calamitatem tolli posse speremus, utriusque gentis, Svecicae non minus quam Norvegicae, interesse videtur. Verum enim vero ut apta mali exstirpandi avertendique praesidia eligamus, ne quid temere inconsiderateque agamus, solida ejusdem cognitio antecedat, oportet. Est tamen talis explicatio nunquam magis necessaria, quam si vel inter eos scriptores, penes quos verissima esset periculi exspectanda notitia, manifesta cernatur confusio, quae non apud exteros solum, verum etiam apud nostrâtes erroneam progenuit ideam. Quod quum de exitiosa illa lue, quam Radesyge vocant, apprime valeat, quid sub eadem vere intelligatur aut intelligi debeat, prius est demonstrandum. Binas ideoque Sectiones nostra continebit commentatio, quarum altera quaestionem de morbi natura vel de genere, quo pertineat, dilucidabit: rationem vero, qua in usum vocata possimus ab hac peste liberari, altera breviter exponet.

SECTIO I.

De morbi, quem Radesyge dicunt, natura.

De vera morbi natura, quem *Radesyge* nostrates vocant, multum est a pristinis inde temporibus, quin hodiernis etiam, a viris eruditis disceptatum; quam magnam dissensionem quum apud plurimos saltem vocis ipsius minus vera notio progenuisse summo iure censeatur, quinam morbus eâ intelligi consuescat, breviter examinare non ineptum neque a re alienum videtur. Omnes, qui hactenus vocis etymon investigarunt, praeeunte imprimis doctissimo Moeller (1), eam esse a *rade*, adiectivo inter

(1) V. excerpta, quae egregio suo operi: «vom abendl. Aussatze im Mittelalter, Hamb. 1790» doctissimus Hensler subnexuit, p. 119, ubi Moelleri nostro de morbo conscripta epistola invenitur.

Norvegiae occidentalis plebem usitato, et substantivi *Syge* conflatam eâque morbum foedum, tetrum, atrocem, horribilem indicari dicunt. Verum secundum latam hanc et vagam vocis vim, quae certi morbi nullam praebet notionem, omnem, quae nostras nationes affligit, malignam describere cutaneam affectionem chronicam longe extra huius libelli limites positum est; imprimis quum verbum *rade*, sicuti scribitur, plebi Norvegiacae cognitum esse nondum persuasum habeamus atque exploratum. Nam ut omittam, frustra id in glossario HALLAGERIANO (1) quaeri, testatus est celeberrimus e nostratibus vir, qui per plures annos ex omni fere parte Norvegiam tam litoralem quam intestinam peragravit, quocumque mihi de proposito argumento multi fuere grati utilesque sermones, sese multifariis suis in patria itineribus nunquam id audiisse. Verum experiamur itaque, an possimus aliam derivandi rationem invenire, quae meliori iure accipi mereatur. Germanis *Raude*, nostratibus *Rue*, *Rufwa*, *Roe* — Romanorum *raudus*, *rudis*, ut mihi quidem videtur, satis finitima verba — crustam significant magis minusve inaequalem, asperam, duram, densam, quae ulcus obducit, donec,

---

(1) Norsk Ordsamling eller Pröve af Norske Ord og Talemaader etc. af LAUR. HALLAGER. Kbhvn. 1802.

ipsa detracta, subiacens cutis aut cruenta apparet aut per tenuissimam adhuc epidermidem rubida translucet. Ihre, longe eruditissimus vir, *ruf* et *riob*, nec non *hreoflic* esse Svecorum *rufwa* cognata verba testatur, illisque in lingua Alemannica *lepram*, sicuti apud Anglo-Saxones hoc a cutis scabritie *leprosum* denotari perhibet (1); vel, ut aliis loquar, morbum iis indicari, quem evolutum demum atque maturum, uti postea fusius disceptaturi sumus, squamis crustisve prodire omnium aetatum homines crediderunt. Usurpantur vero in Norvegia, teste Hallager, de piscium pelli *Raa*, *Raad*—Islandorum *rod* (2) propinqua vocabula—et de squamis eorundem *Raass* (3); quae, etiamsi primo forsitan intuitu ab omnibus illis etymo ipsaque vi recedere videantur, tamen, si accuratius considerentur, ex eadem esse stirpe progenita vix falso iudicantur. Etenim in linguis adeo cognatis, atque septentrionalibus nostris, vocalium et diphthongorum, imprimis *aa* in *au* vel in simplicem *a* et *u*, non

---

(1) Glossar. Sviogothic. Auct. Jo. Ihre. Upsal MDCCLXIX. fol. voc. *Rufwa*.

(2) Lexicon Islandico-Latino-Danicum Bioernonis Haldorsonii. Ex manuscriptis legati Arna-Magnaeani cura R. K. Raskii editum. Hafn. MDCCCXIV. 4. voc. rod.

(3) V. Gloss. Hallag sub vocab. *Raa*, *Raad*, *Raass*.

rarae occurrunt permutationes, illaque verba fuisse primum de piscium squameis integumentis adhibita, indeque propter similitudinem de ulcerum crustis translata, non absimile videtur. Frequentatum porro illud de homine, quem graviter affligit idem hic morbus, inter Norvegiacam plebem proverbium: «*han seer ud som en stegt Fisk*» si respiciamus, haec, quam de horum verborum affinitate professi fuimus, opinio ad veritatem adhuc propius accedit. Nam sicuti assatis in piscibus squamas, praesertim si duriusculae sint, non raro resilientes et quasi hamulos formantes videmus, ita in homine, nostra labe vexato, ulcerum crustas solutas et retroflexas cutemque exinde hispidam redditam persaepe invenimus. Quae vero omnia si ita se habeant, non dubito fore, quin vocem, quae hodierno tempore tam invaluerit, *Radesyge* aptius e verbis *Raa*, *Raad* vel *Raass* derivari dicas, sublimem simul plebeii vocabuli vim vehementer admirans. Tunc certae demum aegritudinis notio existit, eius sc., cuius praecipuum symptoma (i. e. quod sub sensus maxime cadit) in morbosa ea cutis affectione cernitur, ut vel ipsam piscium pellem mentiatur, vel squamis piscium ad instar obsessa appareat. Quibusnam in patriae regionibus illa verba usitata sint, HALLAGER silentio quidem praeteriit, terminos tamen piscatorios

esse iis in provinciis maxime excultos, quae e piscatu praecipue vivant, verbaque ideo nostra, et quae exinde sint conflata, primum esse in Norvegia occidentali excogitata formataque, vel maxime cognita saltem, veri admodum simile videtur. Ita comprehendere possumus, occidentalis Norvegiae incolas appellatione *Raas-Raad*-s. *Raa- siuke* de eodem maligno morbo uti, quem, omni memoria ibi frequentem aliisque in peninsulae regionibus Spedalskhed, Spetalska coeterisque ex eadem prosapia enatis nominibus cognitum, si maturuerit, vel squamis ipsis prodire vel singularem eas formandi nisum ostendere postea uberius docebimus. Quum vero ad morbum compescendum summa potestas prima ibi adhiberet efficacia remedia, in publicis tractatibus indiciisque sueta illa in occidentali Norvegia morbum nominandi ratio, parvula tantum literarum immutatione, in verbum *Radesyge* transiit; id quod vel euphoniae causa, quasi dissyllaba vox *Rade* auribus magis placuerit, quam monosyllaba *Raa, Raad* s. *Raass*, ex aspera dipthongo *aa* conflata, vel sedula elocutionis plebeiae attentione, quia diphthongus *aa* non raro uti binae singulae vocales, sc. mox uti *a-o*, mox uti *a-u*, pronuntiatur, effectum esse satis perspicuum videtur. Ita non solum cultioribus Scandinaviae hominibus, sed exteris etiam nomine

Radesyge vetus innotuit morbus; verum teste imprimis locupletissimo viro, cujus suffragium plurimum valet, nec non aliorum multorum fide dignissimorum, propriaque etiam experientia suffultus contendere audeo, morbum ea sub appellatione ne nostris quidem temporibus esse plebi nostrae peninsulanae extra urbes paucave ab hisce milliaria cognitum. Verum enim vero sicuti nova nomina, praesertim nisi antiquorum commutandorum causa allata sint, falsas producere opiniones solent, ita etiam, ut equidem puto, ad singulares illas notiones multiplicandas, quas vel hodiedum experientissimi viri de veteris morbi natura et ortu effinxere, vox antea inaudita *Radesyge* haud parum contulit. Hinc v. c. factum videtur, quod recentiorum nonnulli eum singulare suum constituere genus autument, quum alii eum esse scorbutum, syphilidem vero alii, alii contra ex hac et scorbuto compositum dicant, quin fuerint, qui a Dania eundem esse pauca ante decennia nobis apportatum contenderent; id quod in libello quodam nuperrime repetitum maxime mirantes videmus. Quum itaque Scandinaviae vulgus ea sub voce morbum non cognoscat, sed, paucis illis regionibus occidentalibus exceptis, a vetustissima inde aetate Spedalskhed, Spetälska similibusve aliis nominibus appellet, quum praeterea antiquum hoc

vocabulum satis presse et apte (1) eam labem significet, quae hodie *Radesyge* salutatur, quum denique recens vocabulum in animis hominum, exterorum imprimis, erroneam morbi notionem impresserit, sane non video, cur novum verbum in lingua diutius retineamus.

De ea igitur pestilentia, quam *Radesyge* nuncupant, non ad amplam istam vocis vim, quae de tota fere classe valet neque de certo morbo ideam praebet, disserere mens est; sed solummodo ad angustiorem, quia verae eiusdem origini magis consentanea videtur sub eademque serioribus praesertim decenniis peninsulae nostrae cultioribus incolis innotuit, eum pertractabimus. Verum si id, quod suscepimus, sane non mediocre neque leve munus conficere possimus, argumentis rationibusque monstretur, necesse est, quis sit morbus noster cuinamve morborum generi subiectus; id quod

---

(1) Hospitalsjuke, Spitalsjuke, Spedalsk Sooth, Spetalska, Spedalskhed, contr. Spelt, synonyma, morbum significantia, quo vexati quasi hospites in leprosorum domus admissi fuere; unde intelligitur, quae latinobarbaris patribus nostris in usu erat, horum nosodochiorum denominatio *hospitalia* Hospites itaque *hospitalibus*, haec iterum aegrotis Spedalske, Spetalske, et morbo Spedalskhed, Spetalska coeterisque finitimis verbis originem praebuerunt.

nobis vix melius continget, quam breviter expositas vulgaria morbi signa cum iis comparando, quae istae aegritudines, quibuscum a viris non paucis confunditur, vulgo aperire soleant. Neque vero omnium symptomatum, quae huic morbo varii observatores adscribant, copiosa hic exspectetur enumeratio, neque omnium formarum, quibus ludat, anxia speretur expositio; quod nos in prolixitatem vix utilem seduceret. Nobis igitur sufficiat vulgares eius notas afferre, omissis varietatum, sane non paucarum, proprietatibus. Quo facto, signa minus essentialia detrahamus, ut e constantibus, quae remaneant, animis nostris possimus veram morbi informare notionem. Collata tunc hac idea cum illorum morborum signis, videbimus, cum quonam congruet vel discrepet; et cui gravissimis rationibus simillimus noster reperiatur, eius quoque germanum esse eundem probabile saltem videtur. Verum si causis etiam, quae apud alias gentes pariter ac apud nos morbum gignere alereque putantur, expositis consideratisque, ubique easdem invenimus eum producentes, ad summam certitudinem haec probabilitas evehitur. Duas etenim pluresve res, quae, iisdem progenitae causis, eadem insuper phaenomena aperiant; uni eidemque esse generi subiectas, non dubitamus pronuntiare.

Quae quum ita sint, haec sectio commode in *bina capita* dispescitur, quorum alterum *symptomata*, alterum *causas* invicem confert.

CAPUT I.

Symptomatum comparatio.

Ad veram morbi nostri imaginem praebendam aggrediens ingenue fateor, mihi iuniori adhuc medico nondum contigisse omnia eius symptomata neque singula eiusdem stadia in uno aegroto obvia videre; nam lente serpens malum sero maturescit. Signa tamen exponere, quae autoptae Norvegiae Sveciaeque optimi fideque dignissimi eidem adscribere soleant, eundemque, quo iidem experientissimi viri usi fuere, servare ordinem conabor.

Morbi initio gravitatem totius corporis membrorumque lassitudinem, pruritum cutis, insolitum laboris cuiusvis, quin negotiorum, quae antea maximis in deliciis fuere, fastidium, articulorum rigiditatem, dyspnoeam, imprimis dum scalas et acclivia adscendunt, cephalalgiam tensivam frontalem vulgo queruntur aegri. Facies singulari splendore, quasi argenteo, praeditur; coloreque saepissime pallido, livido, plethoricorum autem rubro, ab eo tamen, qui sanitatem indicare solet, maximopere discrepante, suffunditur. Coryza

accedit vel humida vel sicca nariumque internarum tumor et obstructio, quae efficiunt, ut non sine difficultate per eas spiritum ducere possint. Nasus externus rubescit et turgescit, raucescit vox, laxata uvula interdum adeo prolongatur, ut sensum corporis peregrini, in faucibus alternatim adscendentis et descendentis, accusent. Dolores insuper oriuntur artuum vagi, rheumaticis non absimiles, eo tamen ab iis diversi, quod noctu exacerbati tempus matutinum versus sudore largo, viscido, nonnihil foetido mitigantur (1).

En dolosi morbi initia, qui, levem aegritudinem mentiens, post varium temporis intervallum eo ferocius in miserum saevit, quo horrendae perniciei imperitior sit ipse vel quo magis alieno destitutus auxilio.

Nisi in medici attenti suaeque artis satis periti manus incidat aeger, adversa haec valetudo pro aetate aegroti, constitutione, vivendi ratione aliisque rebus fortuitis nunc citius, nunc tardius accrescit. Interdum etenim pauci modo menses, plerumque totus annus, quin saepe plures praeterlabuntur, priusquam de maligna illius indole nulla amplius sit

(1) Sunt tamen rheumatismi, qui, incalescente corpore, ingravescunt neque lecti calorem ferunt.

dubitatio. — Singularibus faciei signis exceptis, hactenus nil foris conspicitur; quae vero iam accedunt, cutis nimirum *solutiones continuae*, novam quasi formant morbi epocham. — In *aliis* summam cutem defoedat *efflorescentia herpetica sicca*, mox sparsim, mox congregatim prodiens, albicans, quasi farina furfuribusve obtecta, quibus detractis subiacens cutis epidermide orbata apparet. Epidermis vero brevi regenerata inaequaliter indies crassescit cutemque squarrosam reddit. *Alii efflorescentia larga scabiosa*, humida, admodum pruriente vexantur, quae, vario interiecto temporis spatio, pari modo terminatur. *Plurimis* autem in aegrotis, in facie primum, dein reliquo in corpore, crebrae erumpunt varii coloris *maculae* parvae, morsus pulicum magnitudinem vix excedentes, ad margines quandoque nonnihil elevatae, nonnunquam evanescentes, humida vero tempestate iterum recurrentes, plerumque sensu hebetes, quin interdum plane destitutae, adeo ut vel acu punctae nullum citent aegroto dolorem. Ruptae vel laticem viscidum fundunt crustisque squamosis mox obteguntur, vel acri sero impletae vicinas partes arrodunt ulceribusque malignis haud raro viam sternunt. Hasce efflorescentias maculasque comitantur vel sequuntur noduli et turbercula cuprea, quandoque plumbea, initio mobilia,

dein fixiora, quae primum et largissime faciem, sc. palpebras, nasum, genas, mentum, labia, auriumque conchas, tunc reliquum corpus deturpant. Paulatim simul crassescit et corrugatur frons, tument palpebrae et invertuntur, intumescunt genae atro-rubrae, labia oris turgida retrahuntur rictumque diducunt, aurium conchae nonnihil convolvuntur, vultus torvus accedit, oculi roseo circulo cinguntur; quibus omnibus horrenda facies terrorem sane incutit. Ipsa vero illa tubera vel inde ab initio apices veris squamulis obsessos exhibent, vel saltem ad squamas efformandas proclivia pedetentim squamis obteguntur tota, aut in maligna ulcera degenerant. Fauces, praeter insolitam uvulae laxitatem et descensum hactenus sanae, iam eadem patiuntur mala. Eas etenim inspiciens uvulam, velum palatinum tonsillasque videt maculosa tuberibusve aspera tandemque pessimis ulcusculis obsita. — Efformata itaque iam sunt ulcera, saepe aperta, quae, marginibus duris, callosis, tumidis, inaequalibus praedita, laticem rubicundum, e pedum sudore foetentem, acrem fundunt partesque circumiacentes depascunt, saepius vero crustis squamosis, albidis, fuscis, rubidis obtecta inveniuntur neque raro cutem inter se positam rugis, sulcis, fissuris interstinctam pilisque orbatam exhibent. Notatu sane dignum

est, acerbos artuum dolores mitigari, quandoque penitus cessare, quamprimum corpus externum affecerit morbus; quapropter non inepti sunt, qui summae cutis affectionem *criticam* pronuntiant.

Videmus ita aegritudinem sese indies evolventem et sensim sensimque in peius ruentem. Cernimus porro morbum, qui hactenus intus latuit, ut ita dicam, cancellos rumpere palamque prodire et aegrum quasi monere, ut, dum adhuc tempus sit, periculum intelligenti sibi melius prospiciat. Quo autem neglecto, paulatim dira increscit labes tantumque demum assequitur fastigium, ut saepe frustra omnis adhibeatur medicina.

Consummatum denique et ad summum perductum morbum pessima indicant ulcera, quae, cute aliisque mollibus partibus haud amplius contenta, iam ipsam denique *osseam compagem* aggrediuntur. Humorum labe nullo remedio correcta, foetidissimam, maximopere corrodentem pus accipit indolem; unde efficitur, ut ulcera indies maiora fiant et largiorem fundant ichoris copiam; obortaque demum ea sanguinis conditione, quam dissolutam pathologi dicunt, ichor sanguinolentus secernitur frustulaque carnosa, fungosa, spongiosa, ex ulcerum fundo haud raro abeunt. — Faucium ulcerosa affectio ad vicina etiam ossa

extenditur: palatum durum, vomer, ossa nasi carie exeduntur, collabescit demum ipse nasus. Oritur vox nasalis, tenuis, quin loquela difficulter intelligenda, tandemque ob organorum plenam destructionem penitus abolita. Capilli et supercilia aliarumque etiam partium crines defluere solent, quid, quod? digitorum articuli, carie soluti, interdum secedunt (1). Immensus tum ciborum appetitus, quandoque canina fames, sitis enormis, paene inexstinguibilis, aestus urens, praecipue vespertinus, mortem instantem portendunt. Sudores demum antelucani profusi, diarrhoea colliquativa vires penitus exhauriunt summisque malis optatum imponunt finem.

---

(1) Tales articulorum secessus, etiamsi a viris permultis adhuc dubitentur, in Scandinavia tamen nostra non raro occurrere, tam ex aegrorum in Domo Sancti Georgii Bergensi degentium descriptione, quam Welhaven, summe venerabilis vir, sanctissimo ididem sacerdotio fungens, reliquit, cuius ipsius codicem, iam in linguam Svecicam translatum (Svenska Läkare-Sällskapets handl. 3die Bdt. Stockh. 1816. p. 188-220), una cum annexis aegrorum ipsorum iconibus adeundi benigna mihi copia fuit, quam e multorum Svecorum medicorum testimoniis patet. (Sammandr. af Berättels. ifrån Läkarne i hela Riket om veneriska Sjukdomen, dess Förändringer och Urarter. Stockh. 1813. p. 11. Conf. Indl. till närm. kännedom om de sa kallade urartede veneriska Sjukdomarne och deras fördom bruklige behandl. medelst Svältkur af P. G. Cederschiöld. Stockh. 1814. p. 33).

Quamvis morbum iam descripsimus, qualem sese viris summae auctoritatis exhibuerit, forsitan tamen sunt, qui sibi persuasum habere credant, nonnulla exposita fuisse symptomata, quae ad solitum eius decursum non pertineant, vel squamis nimiam fuisse vim tributam easdemque non esse principales dicendas. Quae quum de illa signorum serie, quae mali quasi praeludium constituere, et de formis, quibus maturum eundem prodire diximus, praesertim valere videatur, hanc rem uberius ut disceptemus, opus est.

Non diffitemur, vel experientissimos exstitisse morbi observatores, qui primorum eius initiorum aut omnino nullam aut obscuram modo facerent mentionem. Eum sese primum in pedibus, brachiis facieque et quidem cutaneis tuberculis manifestare, iam in dissertationis suae (1) limine doctiss. *Gislesen* dicit; neque in praecipuorum et constantissimorum signorum enumeratione, quam postea (p. 6, §. 7) exhibet, alia commemorat prodroma. Loquitur quidem de «segnitie nonnulla, somnolentia genuumque rigiditate (p. 2), deinde de acerrimo dolore, quem ad radicem nasi

---

(1) Dissertatio inauguralis de elephantiasi Norvegica. Auct. Joha Gislesen. Hafniae 1785.

frontalesque sinus aegri sentiunt, angina, voce rauca (p. 4-5); omnia vero haecce ad provectiorem morbum refert certaque ulcerum pedissequa facit. — Ægrotos, si ulceribus nasi afficiantur, catarrho dudum et coryza laborasse, etiam experientissimus Arboe (1) perhibet; eam vero fuisse egregii observatoris sententiam, ut febriles motus constantia sint vel frequentia morbi nondum explicati prodroma, nemini licet inde concludere. — Testantur insuper Ahlander (2) et Vougt (3), summam cutem, nullis praegressis nuntiis, affici; quin eorum ne verbo quidem mentionem facit celeb. Hecker (4), morbi delineationem mox a maculis ordiens; unde iure colligi posse videtur, hunc virum non legisse experientissimi Mangoris librum, quem in enumerandis operibus medico practico utilibus ipse laudat. Verum enim vero quum initia morbi saepe adeo levia sint, ut ab aegrotis flocci ducantur

(1) Afhdl. om Radesygen eller Saltflod af Nicol. Arboe. Kbhvn. 1792. p. 19. §. 8.

(2) Dissert. inaugural. de morbo cutaneo luem veneream consecutivam simulante. Auct. C. F. Ahlander. Upsaliae MDCCCVI. p. 3.

(3) Dissert. inaugural. sistens observationes in exanthema arcticum, vulgo Radesyge dictum. Auct. Isaaco Vougt. Gryphiae MDCCCXI. pp. 8 et 17.

(4) Kunst die Krkht. der Menschen zu heilen. 2 Th. Erfurt 1813. pp. 514. 515. (§. 723).

neque raro tam velociter transeant, ut omnino non animadvertantur, de nostro morbo idem valere videtur, quod de *malo* DITMARSIENSI clariss. BRANDIS testatur (1), signa prodroma eapropter a plerisque medicis vel silentio praeteriri vel negari, quod serius vocati tantummodo aegrotos iam adulto malo graviter afflictos viderint. Hanc opinionem confirmant effata virorum, quibus nec fidem, neque experientiam possumus derogare. Dissertis etenim perspicuisque verbis morbi initia doctissimus describit MANGOR (2), locuples fidusque testis, utpote qui eundem non solum ex autopsia egregie cognovit, verum etiam collegii amplissimi, cuius erat penitiorem sibi de abstrusiori morbo comparare notitiam, sodalis, renuntiationes, quas singulis annis mittere Norvegiacis incubuit medicis, facillime adire ideoque ex uberrimis certissimisque potuit fontibus haurire. Eadem quoque MUNK (3), vir longa experientia celeber, expresse commemorat; neque in egre-

(1) Om den Ditmarsiske Syge. Af Etatsraad og Livlaege BRANDIS (Commentatio regiae societati medicae Hafniensi anno 1810. praelecta). Vide. Bibl. for Laeger, 4Bd. Kbhvn. 1813. p. 4.

(2) Underretning om Radesygens Kjendetegn, Aarsager og Helbredelse af C. E. MANGOR Kbhvn. 1793. pp. 8 et sequ.

(3) Om Norrska Radesygen. Af HANS MUNK. Vide Kongl. Vetenskaps Academiens Handlingar för är 1815. p. 23.

gia, quam de morbo, qualem sese in Svecia exhibeat, paucissimis abhinc annis doctissimus Cederschjoeld nobis reliquit, pictura (1), e medicorum Svecicorum relatibus ad Regium Sanitatis Collegium missis desumta magnoque cum studio et iudicio digesta, aliud est morbi initium. — Omnibus vero hisce bene consideratis, vix ullum esse puto, qui morbum, antequam foris eruperit, motibus febrilibus annunciari neget.

Restat dein paululum disquirere, quidnam sit morbi principale signum sive id, quod tale sit, ut generis nota censeri mereatur. Perlectis collatisque inter se innumeris paene descriptionibus, quas de morbo Sveciae Norvegiaeque medici reliquere, propria insuper sedula observatione innixus mihi omnino persuasum habeo atque probatum, morbi, haud amplius recentis, neque scorbuto complicati, praecipuum symptoma esse *squamas*, ad quas quantam monstrent allatae efflorescentiae tuberaque ipsa proclivitatem, ex exhibita morbi imagine satis apparet. Neque ideo contendimus, squamis formatis, morbum subsistere ad summumque pervenisse; id quod me non sentire, ipsa,

(1) Om de så kallade urartade veneriska Sjukdomarne etc. Af P. G. Cederschjöld. Stockolm 1814. pp. 10 et sequ.

quam praebui, mali descriptio apprime docet; squamis vero tantum tribuo, quia regularis earum formatio notabilisque densitas et magnitudo morbum ab affinibus generibus egregie distinguunt. Verum squamae hae non unicae censendae sunt notae, quibus induitur morbus; quem qui maturescentem attentius inspexerit, duo praesertim signa, sc. *squamas* vel *solas*, vel *tuberibus intermixtas*, binasque ideo formas diversas facile animadvertet, inter quas vel optimi observatores et pictores non satis distinxisse videntur. — Ulcera squamosa et tubercula commemorat quidem Gislesen; sed ex eius verbis neutiquam possumus ad duplicem morbi formam concludere. Arboe, e cuius descriptione haud facile morbi per varia stadia decurrentis imaginem tibi finxeris, maturo imprimis pingendo inhaesit, nulla tamen squamarum facta mentione. Videtur autem malum delineasse, quale lustris sex, quibus in patria medicinam exercuerat, idem in aegrotis observaverat, qui, ab orientalibus Norvegiae provinciis profecti, ipsius opem petierant. Dicit etenim (1), regiones boreales et occidentales alia esse forma vexatas, quam Spedalskhed nominat nodisque, crustis densis,

(1) L. c. p. 36. 37.

subcanis obtectis, prodire perhibet. Anno demum 1793 de nostri morbi signis, causis medelaque MANGOR memoriae egregiam prodidit commentationem, et aptiori ordine maiorique copia, quam qui antecesserant, symptomata exposuit, adeoque plane et dilucide, ut quam qui legerit, etiamsi nec medicus sit, neque ipsum viderit morbum, non possit non veram eius imaginem animo imprimere eundemque in aegroto recognoscere; verum ne hic quidem vir inter squamosam formam atque tuberosam perspicue discernit. Neque clariss. CALLISEN, licet optimos adiisse fontes videtur, discrimen satis animadvertit; id saltem non tam clare ostendit, ut, cui nondum contigerit morbum videre, utrum binae illae formae in Norvegia inveniantur, nec ne, ex egregia descriptione intelligere possit (1). — SPRENGEL vero, symptomatibus disposite et copiose afferendis CALLISENIO maximopere cedens, et squamas tuberaque quidem commemorat (2); verum ex exhibita descriptione neutiquam elucet, tubera et squamae utrum ad morbum efficiendum semper una praesto esse debeant, an singula

(1) Systema chirurgiae hodiernae. Auct. HENR. CALLISEN. Edit. 4. Vol. I. Hafn. 1815. pp. 490 et sequ.

(2) Institutiones medicae. Auct. CURTIO SPRENGEL. Tom. IV. Amstelodami 1814. p. 764.

per se exsistere possint, itaque binas morbi efficere species. — Neque MUNK talem geminationem intellexisse videtur; nam *Spetälska*, *Sibbens et ulcera inveterata, maligna*, quibus imaginibus Norvagorum morbum *Radesyge* prodire testatur, ad tria diversa genera refert (1); eam vero, quam *Sibbens* nomine descripserit, non esse aliam, quam *squamosam*, sicuti *Spetälska nodosam* nostri morbi formam, ex ea, quam ipse dedit, earum delineatione mihi satis liquet. Et quae tertio loco posuit idem, *ulcera inveterata maligna* sane non possunt novum constituere genus; talia etenim in multis aliis morbis frequenter occurrunt, neque raro nostrum comitantur, praesertim scorbuto complicatum, dum sc. ulcera scorbutica difficillime crusta teguntur, semperque fere aperta manent. Ulcera itaque, de quibus loquitur MUNK, vel alio fuisse miasmate oriunda, vel nostrum morbum scorbuto stipatum designasse, equidem paene crediderim. Neque inter Sveciae medicos, qui morbum descripserunt, hactenus mihi ullus occurrit, qui binis illis formis debitam tribuit attentionem. VOUGT, solis Norvegiacis fontibus contentus, morbum bene pinxit, sed formas primarias non videtur

(1) Kongl Vetenskaps Academiens Handl. för är 1815. p. 1. 30.

observasse (1); neque CEDERSCHJOELD, optimis usus Svecorum descriptionibus, eas satis distincte aperuit (2).

Seriem hanc eorum, qui morbum nostrum pinxere, neque satis ad duplicem illam formam attenderunt, multo longius prosequi possumus; quos vero, quum vix alia fieret summa, nimiam nos evitaturi prolixitatem praetereamus.

Verum dum de binis hisce formis ita dissero, squamas tuberaque unica esse phaenomena, quibus evolutus morbus sese aperiat, nullo modo credatis; duplicem autem ejus imaginem posse illis, utpote eminentissimis et constantissimis, commode indicari, est, quod sentiam. Si itaque morbus, qui nostratibus *Radesyge* nomine venit, dividendus esset, non ad chemicam illam theoriam, quam sibi finxere ARBOE ET MÜLERTZ (3), progrediendum est; nam praeterquam quod de hujus morbi non plus, quam de aliorum, interna natura nobis liquet,

---

(1) V. diss. citat.

(2) — — tractat. supra citat.

(3) ARBOE triplicem praesertim sibi visus est detegisse morbi naturam sc. *alkalinam, acidam et muriaticam* (V. ejus tract. supra citat. p. 33); MÜLERTZ vero, trichotomia non contentus, *salinam* et *rancidam* adjecit!!! (V. Bidrag til Oplysning om Radesygens Natur og bedste Laegemaade af JOH. CARL MÜLERTZ. Kbhvn. 1799. p. 5-6).

eidemque igitur innixa partitio non potest esse firmiter stabilita, sane maximopere errant, qui e principiis invicem oppositis varias morbi formas declarare conantur. Cuivis etenim adversae valetudini unicum modo subesse potest principium variaeque illius species e vis vitalis in hoc actione efficiuntur. Morbum ideoque nostrum in certas species distributuris ad symptomata, quae sub sensus maxime cadunt, attendere multo praestat; quum squamas vel solas vel tuberibus iunctas talia esse maturi signa ostenderimus, apprime commoda videtur eiusdem in binas has species, *squamosam* atque *tuberosam*, divisio.

Verum enim vero omnia, quae supra exposui, symptomata neque semper sunt praesto, neque huic morbo propria. Alia etenim videmus semper fere adesse, alia quandoque solum, alia in aliis etiam morbis obvia. Si itaque morbum nostrum velimus a finitimis iuste facileque distinguere, e prolata hypotyposi, quae, fortuitis omissis, constantissima videantur, signa seligamus, oportet. Talem vero morbi proteiformis adumbrationem et quasi definitionem praebere res est summis impedita difficultatibus; verum ut notio eiusdem ad plenam perveniat perspicuitatem, non, Gislesenii, Arboei, Ahlanderi et Voügti more, principia negligenda sunt, sed a primis inde initiis ordiendum.

Initium faciunt febriles motus, quos cum lenta nervosa febre, symptomatibus rheumatico-catarrhalibus stipata, vix perperam comparaveris. Accedunt *dein* tam externo in corpore, quam in faucibus ipsis, variae cutaneae efflorescentiae tuberaque, singulari praedita ad squamas formandas pronitate, densis rugis sulcisque profundis distincta tandemque in maligna ulcera abeuntia. Afficitur *denique* ipsa ossium compages, et, accrescentibus insuper omnibus, quae antea fuerint, symptomatibus, hectica febris et evacuationes colliquativae miseram vitam claudunt.

Satis clare igitur et admodum perspicue morbum videmus per *tria* decurrere *stadia*, invicem non gradu solum, sed signis etiam summe diversa. Inclinata etenim *febre*, quae antecesserat, variis cutis *affectionibus* foris prodit, quae singulari modo finiuntur, et, ni tempestiva adhibeatur medicina, sensim sensimque aegrotum subruunt *tandemque* morti diu expectatae tradunt; vel paucis, *primum* febriles motus, *tum* peculiare exanthema noduli que, catenaeque *demum* osseae ipsius cariosa destructio. Etiamsi vero eundem symptomatum decursum, quem in febribus, quas *exanthematicas* vocant, detegimus, ad hasce nostrum morbum pertinere minus vere diceremus; serius etenim maturescit, quam posse

febres durare putemus. *Exanthematibus* contra, et quidem *diuturnis*, sane non est, eum quod non annumeres. Quum vero ob longam demum moram cutis functio, ni penitus tollatur, maximopere tamen laedatur, praetereaque nutritionis munus labescat, in misero homine, quem diu excruciaverit horrenda haec labes, ea tandem organismi corruptio oriatur, necesse est, quam *cachexiam* dicunt. Hisce expeditis, abstrusi mali naturam adeo tamen perspectam cognitamque habemus, ut inter *exanthemata cachexiasque* idem referre audeamus.

Generali iam exhibita morbi idea, ducit nos instituti ratio, ut cum iis aegritudinibus, quibuscum similitudinem aliquam habere videatur, eum comparemus; quod negotium eo magis necessarium est, quod vel inter hodiernos medicos de genere, quo pertineat, minime convenit. Omnium vero, qui de nostro exanthemate scripserunt, examinare sententias vix opus est, quare et eos praetereamus, qui, ipsi non medici, peritos repetunt, uti Wilse (1), Lund (2), Wille (3) aliique complures, atque

(1) Spydeberg. Praesteg. Beskr. Christ. 1799. p. 437.
(2) Beskriv. over Övre-Tellemarken. Kbhvn. 1785. p. 177. 178.
(3) Beskr. over Sillejords Praesteg. i Övre-Tellemarken. Kbhvn 1786. p. 269-272.

eos solummodo medicos, qui gravissimi nobis videantur, in iudicium vocemus.

Examinanda vero primum ea est quaestio, morbus noster an merus sit *scorbutus*, nec ne? Profitentur hanc sententiam multi magni sane nominis viri, qui de eodem scripserunt. Moeller, physicus olim Bradsbergensis, hoc malum veram declarat scorbuticam cachexiam (1); et Arboe e medicaminum, quae *antiscorbutica* vocant, salutari vi idem esse scorbuticae indolis pronuntiat (2). Verum coniectura a iuvantibus ad morbum quam erronea sit, quam infirmo stet talo, ut de aliis taceam, mercurius imprimis, qui hodierno tempore malis quam maxime oppositis adhibetur, luculentum nobis praebet documentum. Exinde itaque, quod «succus herbarum recens,» qui inter tutissima certissimaque merito numeratur antiscorbutica, in singulis aegrotis praeclaram exserit virtutem, ad nostrae aegritudinis scorbuticam naturam aeque temere concluditur, ac si quis, quod venereo morbo mercurius tutissime opponitur, omnia etiam alia mala, quibus adhibeatur, syphiliticae esse originis

(1) Todes medic. chirurg. Journ. 5 Bd. 1. Hft. Kopenh. 1800. p. 45. 61.

(2) V. l. s. c. p. 29.-34.

suspicari vellet.—Eidem opinioni etiam Sprengel, eruditissimus vir, addictus videtur, hanc aegritudinem oriri dicens, si ad lepram scorbutus accesserit (1); quin fuere, qui illam non nisi summum scorbuti gradum iudicarent.

Verum etiamsi hi morbi primo adspectu aliquam videantur similitudinem habere neque raro iis praesertim in regionibus, quae scorbuto gignendo faveant, eundem simul hominem adeo vexare observentur, ut vel sagacissimus et experientissimus medicus, quisnam praevaleat, non sine haesitatione dicat; tamen non desunt, qui, utriusque mali naturae bene periti, minus stabilitam illam inveniant opinionem eaque invicem longe diversa censeant. Jam Gislesen, errore intellecto, eam refutare conatus est (2); et Mangor, incipientem quidem morbum, dum in eo est, ut foris erumpat, scorbuticae indolis existimans, evolutum

---

(1) Institut. medic. T. IV. Amstelod. 1814. p. 764. Morbum vero inde exsistere, quod scorbuto lues venerea complicetur, dixisse Mangorem (p. 25), alibi (e. t. p. 749) idem est auctor. Mangoris autem verba haec sunt: «Hos Nogle er Radesygen forenet med venerisk Sygdom,» quae enunciatio, utpote particularis, modo de nonnullis casibus valet; et mox in commentationis limine (p. 6. 7.) expresse insuper refutatur celebrata illa opinio de venerea morbi indole.

(2) Diss. citat. p. 35.

et consummatum veram esse lepram et elephantiasin autumat (1). Amplissimus etiam CALLISEN morbum nostrum simplicem, nulla alia acrimonia inquinatum, exsistere posse testatur (2). AHLANDER denique (3) et VOUGT (4), ne pro scorbuto habeatur idem, severe monent. Utriusque vero morbi decursu peculiaribusque symptomatibus attente consideratis, sane non possumus, quin hisce, qui scorbuticam labis nostrae indolem negent, maximopere assentiamur. Scorbutum frequenter quidem eadem annunciant signa prodroma, quae morbum nostrum; quae autem in illo, accedente affectione locali, non cessare, ne mitigari quidem, in hoc contra, quamprimum summam cutem deturpare coeperint allatae efflorescentiae, maxima ex parte evanescere solent. Maculae insuper scorbuticae suras primum occupare consuescunt, faciem vero, quae nostrum morbum comitantur. Si denique ulcera ipsa respiciamus, magnum sane discrimen inveniemus. Ulcera scorbutica oris praesertim indicantur lividis, flaccidis, fundo spongioso, fungoso, sanguinolento;

---

(1) V. eius tract. supra citat. pp. 12, 26-27.

(2) Syst. chirurg. hod. Edit. 4. T. I. Hafn. 1815. §. DCCCLXX.

(3) Dissert. eius supra citat. p. 6.

(4) — — — laudat. p. 16.

rarissime ad ossa subiecta penetrant eadem, neque unquam sunt escharis obsita. In nostro autem morbo ulcera ambitum habent callosum, durum, inaequalem et tumidum, saepissime crustis densis, squamosis (1) obteguntur, profundeque serpentia vicina demum ossa aggrediuntur.

A scorbuto quam differat morbus noster, pluribus ut demonstremus, vix opus esse credimus; quapropter uberiori huius rei expositione supersedentes ad aliam transeamus neque hodiedum de eodem minus agitatam quaestionem, utrum pro *syphilide* sit habendus.

Eundem esse non nisi *venereum* omnes Norvegiae medici, qui de eo monographias reliquerunt, inde a Gislesen refutarunt; verum quum non nomen solum, quod vel ab hodiernis Sveciae medicis morbo imponitur, sed ipsae etiam eorum argumentandi rationes satis superque testentur, hunc errorem nondum esse penitus sublatum, hanc rem breviter disquirere vix inutilis erit labor. Morbum Sveciae

(1) Norvegiacam vero nostram formam iis carere ampliss. Sprengel (instit. medic. T. IV. Amstel. 1814. p. 714), nescio qua auctoritate nixus, contendit; id quod, experientia teste, non nisi scorbutus accesserit, obtinet.

medici *urartad venerisk Sjukdom* (morbum venereum degenerem) jamdudum vocarunt (1); ipsum vero hoc nomen non potest, quin erroneam producat opinionem. Verum sunt praeterea ex iisdem nonnulli, qui eundem a genuina venerea labe ipsam originem trahere contendant, sunt etiam, qui hanc opinionem argumentis firmare conentur. LINDBERGSSON, licet, quae exposuerit symptomata (2), alium non melius, quam nostrum morbum designent, eandem tamen huius syphilidisque internam naturam posse signorum similitudine luculenter evinci putat (3). Pares quidem sunt multisque rationibus similes; neque facile utrumque maturum internosces, nisi totum symptomatum decursum simul consideres. Quae etenim *venereo viro* primum infecta fuit pars, in ea post ardentem dolorem *vel* macula apparet intense rubra, quae, in pustulam, seroso impletam latice, elevata, mox rumpitur et excoriatur;

---

(1) Svenska Läkare-Sällskapets Handl. T. II. et III., plurimis in locis, ubi de morbo venereo, varietatibus eiusdem et degeneribus speciebus medicorum inveniuntur renuntiationes; nec non librum « Sammandrag af Berättelser ifrån Läkarne i hela Riket om veneriska Sjukdomen, dess Förandringer och Urarter. Stockholm 1813. »

(2) Svenska Läk. Sällsk. Handling. 2 Bd. 1 Hft. Stockh. 1814. p. 118-122.

(3) L. nup. cit. p. 123.

vel tuberculum nascitur rubicundum, quo rupto, ulcusculum remanet oris rubris, dentatis, serpentinis, fundo lardaceo, materia alba compacta obtecto, crustis autem et squamis nullis. Nisi miasma, corpori inhaerens, iam extinguatur, sensim sensimque proserpit malum totumque demum organismum inquinat. Verum longe aliter haec res sese habet in nostro morbo, qui prius totum aggreditur organismum, quam summam cutem deturpet. Quodsi tandem evenerit, nullo annunciante dolore, variae efflorescentiae tuberaque erumpunt, quae omnia in ulcera transeunt, labris inde ab initio duriusculis, callosis, lividis, squamis crustisque creberrimis. Horum ideoque morborum decursu externaque facie invicem collatis, mihi etiam errare videntur, qui eos esse uni eidemque generi subjectos putant. Reliqua argumenta, quae ad suam opinionem probandam Lindbergsson attulit, morbum sc. in Svecia non fuisse cognitum ante syphilidem eandemque, atque hanc, requirere medelam (1), sane non eiusmodi sunt, ut refutationem desiderent.

Expositis ita argumentis, quae malum *Radesyge* dictum, nec pro vero scorbuto, nec

---

(1) Sv. Läk. Sällsk. Hdlg. 2 Bd. 1 Hft. Stockh. 1814. p. 123.

pro venerea labe habendum esse probare videntur, in disquisitionem venit nonnullorum opinio, illud esse quasi *interna utriusque morbi mixtione* progenitum. Verum corruit haec etiam, si luis scorbuto complicatae decursum curandaeque methodum respiciamus; mercurius etenim, qui exanthemati nostro tutissime opponitur, syphilidem scorbuticam semper exasperat.

Refutatis iam eorum sententiis, qui morbum esse verum scorbutum, vel syphilidem, vel utriusque hybridam speciem declarant, restat demum breviter disquirere, exanthema hooce an veterum sit *lepra et elephantiasis*, nec ne? Non diffitemur, praeter allatos omnes, quibus alias magis arridere opiniones audivimus, vel hodierno tempore esse, qui illud cum hisce confundere vehementer dissuadeant. Büchner, non ausus morbum vere leprosum et elephantiacum pronuntiare, eum semper commemorat sic *dictam lepram* vel *scabiem leprosam scorbuticam* (1); et Moeller, quum Gislesenium in dissertatione inaugurali elephantiacam morbi indolem ostendere conatum

(1) Excerpta, Hensleri operi: « vom abendländischen Aussatze im Mittelalter etc. Hamb. 1790, » annexa p. 110-117. Conf. Todes medic. chirurg. Journ. 5 B. 1 Hft. 1800. p. 47.

fuisse audiisset, celeberrimo Tode literas misit, quibus a tali sententia desistere graviter monet (1). Ahlander, vulgare morbi nomen in linguam Romanam ne transferre quidem ausus, in commentatione, latine conscripta, semper utitur vocabulo *Radesyge*, graecoque anteposito articulo ὁ, id declinat (2). Signa, quibus noster morbus a venerea lue dignoscendus sit, copiose affert (3), neque negligit discrimen inter illum et scorbutum, herpetem, scrophulam leviter attingere (4), magnam quoque inter Radesygen et lepram intercedere differentiam testatur (5), sed ubi signa, quibus alterum ab altero distingueremus, exspectanda essent, nulla inveniuntur. Neque ab hoc viro multum dissentit Vougt, rationibus haudquaquam probandis evincere conatus, morbum nostrum esse suum i. e. novum quasi genus, a lepra et elephantiasi toto coelo diversum (6). Quum itaque de leprosa vel elephantiaca morbi

---

(1) Todes medic. chirurg. Journ. 5 Bd. 1 Hft. 1800. p. 45-61.

(2) Dissert. inaugural. de morbo cutaneo luem venereum consecutivam simulante. Auct. C. Th. Ahlander. Upsaliae MDCCCVI.

(3) Dissert. inaugur. p. 6-8.

(4) — — p. 6.

(5) — — p. 3.

(6) — — pp. 7 et. 17. 18.

indole viris eruditis atque expertis nondum satis liqueat, quid nobis sentiendum sit, disquiramus, necesse est.

In bibliis nostris sacris duas legimus morbi descriptiones, alteram in Levitico, alteram in *carmine*, quod Jobi nomine fertur, cui aliqua quidem signa cum nostro exanthemate communia sunt, uti maculae, aliaeque in cute eruptiones, quas, testantibus Jobi querelis, animi inquietudo somnusque turbulentus antecedunt, e tali vero imagine non posse morbi naturam penitus dirimi, simul est ingenue fatendum. Mosis vero, quum legum codicem, non medicinae systema, scriberet, maxime interfuit abominandae luis ejusque praesertim speciei, quae sensus minus peritorum facillime fugit, primordia genti suae nota reddere, quibus detectis perspectisque morbum nascentem possent aptis remediis comprimere, quapropter summum mali fastigium apud eum frustra quaerimus depictum. Atque in Jobi carmine signa sunt non adeo digesta, ut de aegritudine, quam denotent, lectores possint firmum ferre judicium; id quod poëtae facile ignoscimus. Causarum vero, quibus morbum induci postea audiemus, simul habita ratione, Israëlitas non fuisse a foedo malo immunes, admodum probabile fit.

Neque melius de veterum lepra edocemur, HIPPOCRATEM pervolventes; nam in operum farragine, quae ejus nomine feruntur, passim quidem leprae occurrit mentio (1), legenti autem mihi nondum ulla descriptio. Atque etiamsi ne verbo quidem iisdem in libris elephantiasin commemoratam invenies; φοινικίην tamen νȣ̃σον, quam lectionem, loco φθινικην νȣ̃σον, FOESIUS (2) et v. d. LINDEN (3) receperunt, eam indicare magna nonnullis satisque probabilis est suspicio. Nulla quidem Hippocratica morbi descriptione hanc tuentur opinionem, argumentis vero non contemnendis eam conantur firmare. Ipse etenim GALENUS φοινικίην vel φοινικινην legisse videtur, nam ubi

---

(1) Magni HIPPOCRATIS Coi opera omnia. Ed. v. d. LINDEN. Lugduni Batav. CIƆIƆCLXV. 8. Vol. I. Aphorism. V. 20. p. 80. Praedictor. II. 49. p. 521. 22. De humidor. usu VIII. p. 604. Popul. lib. II. 5. p. 708. — Vol. II. De morb. 1. 3. p. 3. De affectionib. XXXV. p. 182. Et multis forsitan in pluribus aliis locis.

(2) FOESIUS, quamvis ipso textu vocabulum φθινικὴ retinuit, in subnexis tamen annotationibus fatetur, non esse dubium, quin lectio haec mendosa sit pro eaque adoptanda φοινικίη (V. ejus operum Hippocraticorum editionem. Francofurti MDXCV. fol. Sect. II. p. 95-96). Id quod jam antea testatum reliquit. V. Oeconomia HIPPOCRATIS alphabeti serie distincta. Auct. ANUTIO FOESIO. Genevae MDCLXII. fol. Voc. φοινίκινος.

(3) Hippocratis opera. EDIT. v. d. LINDEN etc. Praedictor. II. 49. Vol. I. p. 522. « ἡ νȣ̃σος ἡ φοινικίη καλεομένη. »

obsoletas Hippocratis voces explanat (1), illis verbis aut a Phoenicia, ubi praesertim grassari credebatur morbus, isthinc a nautica gente in Graeciam apportatus, aut a rutilo, puniceo colore, quo nonnunquam suffunditur cutis eodem vexati, elephantiasin significari autumat. Monet coeterum HENSLER (2), eruditissimus vir, cujus de morborum leprosorum natura penitius perscrutanda immortalia merita omnes cognoscimus, non potuisse Graecos Hippocratis tempore elephantiaseos nomine morbum insignire; nam quum, si PAUSANIAE (3) fides habenda, antequam Macedones in Asiam trajecissent, praeter Indos, Libyes vicinasque gentes nullae adhuc elephantes vidissent, atque ex Europae principibus ALEXANDER MAGNUS primus esset, qui hasce bellúas possideret (4),

---

(1) GALENI linguarum seu dictionum HIPPOCRATIS exoletarum explicatio. Voc. φοινικίη et φοινικίνος. V. HIPPOCRATIS et GALENI opera. Ed. RENATUS CHARTERIUS. Tom. II. p. 106. Lutet. Paris. MDCLXXIX. fol. max.

(2) PHIL. GABR. HENSLER vom abendländischen Aussatze in Mittelalter. Hamb. 1790. p. 201.

(3) Παυσανιυ τῆς Ἑλλάδος περιήγησις. Graece et latine. Curantib. AMASAEO, XYLANDRO, SYLBURGIO et KUHNIO. Lips. MDCXCVI. fol. p. 29-30.

(4) HENSLER quidem dicit, Alexandrum ex EUROPAEIS primum fuisse, qui elephantes *videret* (vom abendl. Auss. im Mittelalter. Hamb. 1790. p. 201); etsi non ita, quem citat, PAUSANIAS, cuius ipsissima verba haec sunt: „ἐλέφαντας δέ πρῶτος μὲν τῶν ἐκ τῆς Ἐυρώπης Ἀλέξανδρος ἐκτήσατο.“ (V. edit. nup. laudat. p. 29).

nondum potuit esse animalis, Europae incolis ni plane ignoti, tamen non multum cogniti, inter Graecos vera ulla atque communis notio. Ex quibus vero omnibus satis abunde patet, lepram vel elephantiasin Hippocratis tempore in Graecia aut non fuisse populariter grassatam, aut non tanta inter Graecos saevisse crudelitate, quanta alias in gentes; alias etenim celeber ille Cous, cuius observandi ingenium omni memoria summam movit admirationem, in libris, ubi de popularibus morbis agit, solita cura studioque eas quoque pinxisset. Neque horum morborum exacta prodiit delineatio, antequam Aretaeus Cappadox sibi praesertim elephantiasin pingendam sumsisset (1). Omnia fere, quae copiose attulit, symptomata egregie in totum exanthematis nostri nodosi decursum congruunt; verum praeterquam quod de inflata tumenteque dictione merito reprehendatur, signa esse minus iuste disposita sane non difficile est intellectu, prodromis nimirum inter ea, quae maturum produnt morbum, confusius temereque interpositis.

(1) Aretaei Cappadocis de causis et signis morbor. diuturn. Lib. II. c. 13. Edit. Herm. Boerhaave. Lugduni Batav. MDCCXXXV. fol. p. 69-71.

Inter eos, qui eodem tempore floruere, GRAECOS ROMANOSQUE elephantiaseos descriptores, non infimum locum meretur GALENUS, cuius splendidum ingenii lumen vastusque doctrinae apparatus nunquam desinent esse summa admiratione digna. Hic autem vir, licet frequentem facit leprae et elephantiaseos mentionem (1), tamen, quum doctrinam de signis valetudinis adversae non tanta attentione studioque dignatum fuisse videatur, quanto coeteras artis partes, etiam apud eum exactam nostri morbi et plenam delineationem frustra quaeres. Quamvis de lepra et elephantiasi seorsum loquitur, eas tamen e solidarum partium figuraeve mutatione oriri (2) melancholicasque esse affectiones (3) putat, de iisdemque in libro «de tumoribus praeter naturam» agit;

---

(1) HIPPOCRATIS et GALENI opera Edid. RENAT. CHARTERIUS. Lutet. Paris. fol. max. sc. de prob. pravisque alimentor. succ. lib. c. 14. vel T. VI. p. 439. — De morb. causis lib. c. 7. v. T. VII. p. 25. — De symptomat. causis lib. II. p. 6. v. T. VII. P. 80. — De tumorib. praeter naturam lib. c. 13 et 14. v. T. VII. p. 320. — De medendi methodo lib. II. c. 2. v. T. X. p. 29. — De medendi methodo ad Glauconem lib. II. c. 12. v. T. X. p. 390, pluribusque in locis.

(2) De morbor. causis lib. c. 7. v. T. VII. p. 25.

(3) De tumorib. praeter natur. lib. c. 13 et 14 v. T. VII. p. 320. — De probis pravisque alimentor. succis lib. c. 14. v. T. VI. p. 439.

unde eum utrumque censuisse interna natura similem forsitan non sine ratione suspicamur. Atque cum exanthematis nostri tuberosa forma egregie congruit, quam in libris Galenianis saepius legimus, elephantiaseos hypotyposis (1); leprae autem, quantum equidem sciam, nulla ibidem invenitur delineatio. Iisdem fere verbis CELSUS (2), PLINIUS (3) et MARCELLUS (4) elephantiasin describunt, ex quibus tamen nemo morbum ipse videtur observasse; sed CELSUS inter morbi symptomata squamas etiam commemorat, et quem alio loco (5) *impetiginis* nomine pinxit, eum nostram fuisse squamosam formam haud immerito nobis videmur suspicari. — Ex hisce vero omnibus satis elucet, veteribus etiam *binas* fuisse leprae formas cognitas, sc. *squamosam* atque *tuberosam*.

Jam ad *mediae aetatis* medicos nos conversuri satis arduum aggredimur opus, nam vana perciti cupidine omnigenos morbos ad

---

(1) De morbor. caus. lib. c. 7. — De tumorib.. praeter natur. lib. c. 14.

(2) A. CORN. CELSI de medic. lib. III. c. XXV. Edit. Bipont. CIƆIƆCCLXXXVI. 8. p. 181.

(3) CAJI PLINII SECUNDI hist. natural. lib. XXVI. e. 5. Edit. Bipont. 8. Vol. IV. CIƆIƆCCLXXXIV. p. 261.

(4) MARCELLUS de medicamentis c. XIX. V. Medici antiqui omnes, qui latine scripserunt. Venet. MDXLVII. fol. p. III. b.

(5) Lib. V. c. 17. Edit. citat. p. 343.

theoriam de *quatuor humoribus* dividendi lepram etiam quadruplicem esse voluerunt; quod ut demonstrare possent, ad similitudinem, quam sibi visi fuerint observare, *leonis*, *serpentis cuiusdam*, *vulpis et elephantis*, *leoninam*, *tyriam*, *alopeciam et elephantiam* eam cognominarunt in totidemque distribuêre formas, quarum qui subtiles legerit descriptiones, sine dubio nemo erit, quin taedium, immo fastidium sentiat. Accedit insuper, quod vel ipsi neque de nominibus inter se plane constantes, neque in quavis morbi forma depingenda invicem similes videntur; id quod iam suo tempore Lanfrancus (1) inter Salernitanos medicos Arabesque obtinuisse commemorat. Ipsarum denique formarum differentias signis esse minus essentialibus stabilitas vix perperam dixeris; mali etenim gravitatem variumque exanthematis colorem non nova exigere nomina, nedum speciem novam, Guido de Cauliaco (2) summo iure monet. Jam ex hisce, quae hactenus sunt disceptata, satis abunde patet, notionem, quam de quadrupla lepra medii aevi auctores sibi finxerint, admodum

---

(1) Hensler Vom abendländ. Aussatze im Mittelalter etc. Hamb. 1790. Exc. p. 37.

(2) E. I. p. 70-71.

vagam fuisse. Vix opus esse credo ipsas descriptiones afferre; quas cui legere lubeat, vel ipsa is autographa adeat, vel excerpta Hensleri operi annexa. Inveniet ibidem, omnes morbo eundem adscripsisse decursum, quem in exanthemate nostro observemus; plurimos etiam primum stadium pinxisse, etsi interdum febrem non presse nominent; omnes vero ea de re consentire, quod maculae aliaeque summae cutis turpitudines consummato malo viam parent.

Verum enim vero hactenus eos modo recensuimus auctores, qui morbum descripsere, qualem sese omni memoria in Ægypto vicinisque terris, et olim tota fere in Europa exhibuerit; iam ii breviter commemorandi veniunt, qui vel *nostris temporibus* lepram esse extra Scandinaviam nostram bene cognitam testantur. Quae de Islandorum LikPrá Petersen (1), Troil (2), Koenig (3), aliique complures scripsere, quae de eodem mihi narrarunt

---

(1) Afhdl. om den Isldske Skjörbug. Soröe 1769.

(2) Bref rörande en resa till Island MDCCLXXII. Uplagd i Upsala MDCCLXXVII. 11te Bref till Arch. och Ridd. Bäck. p. 93.

(3) Dissert. inaugural. de remed. indig. ad morbos cuivis regioni endemicos expugnandos efficacia. Auct. Joh. Gerh. Koenig, Hafn. MDCCLXXIII. p. 63-64.

amicissime Islandi, Hafniae mecum studia exercentes, in nostrum exanthema egregie congruunt, sicuti quas de lepra *Guadaloupensi* PEYSSONEL (1), de lepra *insularum Indiae orientalis* DEJEAN (2), de *Ægyptiorum* LARREY (3) de *morbo Canadensi* SWEDIATUR (4), de *Scotarum* SIBBENS *idem* (5), WILLEMOES (6) et ADAMS (7), de lepra *Taurica* MARTIUS (8), de morbo *Ditmarsiensi* BRANDIS (9), de *Morsiano Thyensique* RANDRUP (10), nobis reliquere, descriptiones,

---

(1) Philosoph. Transact. Vol. L. P. I. p. 38. No. 6.

(2) HENSLERI excerpta. p. 105 - 110.

(3) Memoires de chirurg. milit. et campagnes de D. J. LARREY 1812. 8. Vol. II. p. 68 - 96.

(4) Traité complet. sur les sympt., les effets, la nature et le traitement des malad. syphilit. Par F. SWEDIAUR, 6éme edit. Paris 1809. Tom. II. Chapit. XIII. p. 295 - 301.

(5) E. l. Chap. XIV. p. 302 - 306.

(6) Afhdl. (reg. societ. med. Hafn. praelecta) om den i Skotland herskende SIBBENS v. SYPHILIS INSONTIUM, med Hensyn til den Norske Radesyge, af Dr. WILLEMOES. Bibliotek for Laeger. 2 Bd. Kbhvn. 1810. p. 25 - 42.

(7) Observations on morbid poisons, chronic and acute, by JOSEPH ADAMS. Lond. 1807. 4. Chapter XV. p. 176 - 196.

(8) Dissert. inaugural. de lepra Taurica. Auct. HENRICO DE MARTIUS. Lips. MDCCCXVI.

(9) Afhdl. om den Ditmarsiske Syge af Etatsraad og Livlaege BRANDIS. Bibl. f. Laeger 4 Bd. Kbhvn. 1813. p. 1. 26.

(10) Benigne mihi obtulit amicissimus JOH. MICH. RANDRUP suam de exanthemate, quod insulam MORS peninsulamque THYE graviter tenet, commentationem, in qua, qui venereae illud indolis censeant, eos errare, ad *insontium* vero *syphilidem*, ad morbum, quem *Radesyge* nostrates dicunt aliaque

mea sententia, tantam ostendunt cum nostro exanthemate similitudinem, ut, signis invicem collatis, sane non possimus, quin omnes ad idem genus referamus. Attamen negari nequit, sedulum observatorem tam in hodiernis hisce leprae formis, quam in veteribus illis nonnulla animadversurum esse signa, quibus invicem parumper differre videantur, quin inter omnes has atque nostrum exanthema differentiam aliquam intellecturum. Quod vero discrimen, utpote in coeli et victus ratione aliisque fortuitis rebus positum, non ab interna morbi natura proficiscitur; et ubicunque rerum similitudo vel dissimilitudo judicanda est, constantia modo signa in censum veniunt.

Ante vero quam symptomatum comparationem relinquamus, breviter disceptanda restat gravis ea quaestio, an veteris mediaeque aetatis nec non hodiernis medicis eadem sit de sua lepra sententia, quam de nostro

---

finitima mala quam proxime idem accedere, satis perspicue docet. Doctam hanc disquisitionem, iam anno 1809 conscriptam, facultati medicae Hafniensi eo consilio obtulit auctor, ut post eam defensam Apollineam posset lauream reportare. Quod fieri vetuit regia lex priori anno (1808) sancita, medicis etiam, qui summos in arte honores cupiverint, duplex esse literarium certamen subeundum. Qua vero lege auctorem, ne dissertationem luci mandet, non detentum fore, mecum sane omnes, qui legerint, valde optent.

exanthemate nos professi fuimus: *squamas* sc. efficere generis principalem characterem, hoc genus non nisi *bipartitum* esse, ejusdemque *binas* formas, *tuberosam* pariter ac vere *squamosam*, tandem in *squamas* abire. Verum ingenue fatendum est, ex iis, quae scripta reliquerint antiqui medici, id non posse penitus erui; neque tanta simplicitas erat ea aetate exspectanda, quae, in subtilibus distinctionibus inveniendis retrusa penitusque abdita, rerum unitatem et harmoniam sprevisse, neque notionibus humilioribus ad sublimiores referendis satis curasse videtur. Attamen valde probabile est, neque apud veteres plures extitisse [illegible]fectae leprae formas principales, quam bi[illegible]as; nam quas *leoninae tyriaeque* nomine Arabum interpretes latinobarbari et Arabistae describunt, eae vix non Graecorum lepram vel squamosam nostram constituerunt, sicuti quas *alopeciam et elephantiam* appellant illi, eae haud dubie horum fuere elephantiasis vel nostra tuberosa forma; utraque vero ut ad squamas formandas tendat, istórum medicorum fuisse opinionem, vix plane decerni potest. Atque inter recentiores, unico forsitan Dejeanio excepto, neminem invenimus, qui utramque formam in squamas tandem abire testetur; ille autem in egregia leprae, qualem in Indiae orientalis insulis eandem viderat, pictura dissertis

verbis dicit, tubercula ipsa cutanea quandoque excoriari et crustis obtegi, squamasque demum esse perfecti mali finem. Neque quae ad demonstrandam leprae et elephantiaseos, quales hodierno tempore apud Ægyptios vel in universum observentur, diversam internam naturam copiose attulerunt Larrey (1) et Bateman, meam valent refutare sententiam, verum eam potius confirmare videntur. Eximius etenim Larrey leprae maturae tubercula adsignat (2), ac elephantiaseos nodulos exulcerari et crustis nigellis, densis, inaequalibus demum obtegi testatur (3); ipsamque ideo formam, de qua tantopere dissentiunt, eadem denique prodere phaenomena fatetur, atque alteram, de cujus terminatione nulla sit nec unquam fuerit peritorum dubitatio. Atque Bateman in praestantissimo opere, quod de morbis cutaneis solida doctrina subtilique judicio elucubravit (4), praeeunte Willan, immortali viro, ordines

---

(1) « L'expérience m'a également appris, que la lèpre diffère *essentiellement* de l'éléphantiasis » sunt verba Larrey. Mem. de chirurg. milit. et campagnes. Paris 1812. 11. p. 69.

(2) L. c. p. 70.

(3) — p. 88.

(4) Prakt. Darstell. der Hautkrkht., nach Willans System bearbeitet von Thom. Bateman. A. d. Engl. von Abrah. Hahnemann. Mit Vorrede u. Anmerk. v. Kurt Sprengel M. einer illuminierten Kupftfl. Halle 1815. 8.

constituit, quorum tamen limites non ubique debita cura fecisse videtur. Ut de reliquis taceamus, ea modo breviter perstringamus, quae ad rem nostram proxime pertineant. Lepram et elephantiasin ad duos diversos quidem ordines refert, quem alterum *squamae*, alterum *tubercula* efficiunt; utrique tamen morbo, quum inveteraverit, eandem tribuit notam essentialem. Vulgarem etenim lepram, quam in Anglia ipse pluries viderat, a parvis eminentiis rotundis incipere dicit, sensim accrescentibus, quarum in apicibus primum tenues surgunt *squamulae*, paulatim densescentes et totum dein tuberculum occupantes (1). Id quod in elephantiasi non secus obtinere testatur; nam, progrediente malo, nodi rumpuntur et suppurant cutemque densis, siccis, squalidis *crustis* obsessam relinquunt (2). — Verum squamae quid nisi crustae?

(1) L. nuper cit. p. 61.
(2) L. c. p. 456.

CAPUT II.

Causarum comparatio.

Expedita iam atque demonstrata symptomatum similitudine, nobis adhuc restat causas conferre; inter quas si probare convenientiam contigerit, de eadem indole internaque natura nulla amplius esse posse dubitatio videtur. Omnes vero, quas vulgo afferunt, causas, vix opus est, ut enumeremus; eas tantummodo indicasse sufficiat, quae in peninsula nostra praecipue vulgoque morbum producere putentur, eidemque cum similibus aliarum orbis plagarum malis sint communes. Neque in hisce causis exponendis multi erimus; totam etenim v. c. peninsulanae nostrae plebis oeconomiam hoc loco prolixius demontrare quid iuvat? Quam popularibus tradere esset non nisi rerum, quae aliunde bene cognitae sunt, taediosam praebere repetitionem; et exterorum causa de eadem disserere copiosius commentationem nostram iis augeret rebus, quae nostro consilio scitu minus sunt utiles. Quas vero, si quis sit, qui penitius cognoscere cupiat, is illos adeat auctores, quibus peninsulae tam totius, quam partium singularum uberiores debemus descriptiones. Vitata

ideoque omni prolixitate, ea modo teneamus, quae rei nostrae maximam affundere lucem videantur.

Ad morbos producendos quantum coeli victusque ratio valeat, nemini non est tam notum atque perspectum, ut iterata explicatione haud egeat; eandem vero aliis in terris non minus, quam in peninsula nostra, perniciosae pesti, quam *Radesyge* nostrates vocant, gignendae favere, sequentibus pagellis demonstrare conabor.

Est quidem Scandinavica peninsula in universum montuosa aquaque dives; eas tamen regiones, quas maxime teneat morbus, (sc. *Norvegiae occidentalem et meridionalem partem*, *Sveciae* vero insulam *Gothlandiam* regionesque, quas *Bahuslänska*, *Alandshafvets et Bottniska Vikens Skärgardar* incolae vocant); nudis montibus, paludibus, lacubus, stagnis sinubusque, e mare in ipsam alte penetrantibus, refertam videmus. Unde *humidus et nebulosus* aër est declarandus, quem homines, ibidem degentes, nec non peregrinatores, terram describentes, conqueruntur. Vapores etenim, qui ex omni aqua assidue exhalantur, iis in regionibus, quae lacubus maxime scateant, copiosius ut avolent aëremque abundantius humectent, necesse est. — Verum exinde, quod peninsula, inter 56 circiter et 72 borealis

latitudinis gradum sita, ad borealis zonae temperatae boreales terras pertinet longeque in borealem zonam frigidam patet, ad *frigidam* insuper aëris, quo Norvegiae Sveciaeque incolae fruuntur, indolem concludere possumus. — Defendunt quidem multi nostri montes altaeque praesertim eorum catenae, quae in septentrionali orientalique terrae utriusque parte inveniuntur, nos aliquantum a frigido borea ventoque solano, quorum saevitiae adeo expositi sunt planitierum habitatores. Horum autem loco nobis ventulus est, qui, Norvegis nomine *Snoe* cognitus, hyeme praesertim in lacubus congelatis vallibusque angustis, vel tranquillissimo coelo, tam acriter spirat, cuius, qui nondum senserint, vix ullam possint ideam habere. — Ex omnibus vero hisce satis elucet, in Norvegia Sveciaque aërem esse in genere frigidum; qui iis praeterea in regionibus, quas morbo gravissime afflictas videmus, nimio simul humore peccat. Quae autem qualitates non possunt, quin, iustis neglectis cautelis, in corpus humanum noxios effectus exserant. Frigidus etenim aër, iam per se naturalem organismi calorem diminuens, si etiam nimis humidus sit, adhuc facilius eum avehit maioremque ideo perniciem adfert.

Verum enim vero inter omnes terrae plagas, nostro morbo vexatas, non possumus hoc

respectu similitudinem demonstrare; attamen e sequentibus patebit, frigidae me coeli aëris-que temperiei non solam tribuere vim morbum producendi. Mea etenim ex sententia, causa sufficiens est, dummodo praecipuam cutis functionem, perspirationem insensibilem puto, laedere valeat; id quod, faventibus insuper aliis immunditiis, in calidioribus terris melius fieri potest, quam alibi. E pluribus tamen locis, ubi de aëris conditione in variis *Islandiae* regionibus Koenig (1), Olafsen et Povelsen (2) agunt, satis patet, frigidam eam esse, humidam, duram et procellosam; id quod in insula, arctico polo tam propinqua medioque in Oceano sita et undique a terris longe remota, non mirum videtur; neque *insulas Faeroeenses, Scotiam Canadamque* esse multo feliciores, Debes (3), Landt (4) et Finke (5) testantur. Atque

(1) Diss. de remed. indig. etc. efficacia. Auct. J. G. Koenig. Hafn. MDCCLXXIII. p. 60-63.

(2) Vice-Lavmand Eggert Olafsens og Land-Physikus Bjarne Povelsens Reise igjennem Island. Soröe 1772. 4.

(3) *Faeroae et Faeroae* reserata, d. e. Faeröernis oc Faeröiske Indbyggeris Beskrifvelse. Af Luc. Jacobs. Debes Kjöbhfn. 1673. p. 92.-103.

(4) Forsög til en Beskrivelse over Faeröerne af Jörgen Landt. Kbhvn. 1800. p. 4-33.

(5) Leonh. Ludv. Finkes Versuch einer allgemein medicinisch-praktisch. Geographie. 2ter Th. Leipz. 1792. p. 283-293. — 3ter Th. Leipz. 1795. p. 521-527.

etiamsi *Germania*, quam media aetate horrendo malo gravissime conquassatam legimus, tunc non tam acerbum coelum pertulisse videtur, quam SENECAE (1) TACITIQUE (2) tempore, per illa tamen saecula aëris conditionem ibi multo minus mitem fuisse, quam hodie, equidem valde suspicor.

Progrediamur iam ad contemplandum vivendi genus, quo egena nostra plebs afflictarumque praecipue regionum incolae utantur; annon multa occurrunt, quae regimini sano quam maxime contraria sint, quae organismum, vel optima firmissimaque fruentem valetudine, turbare valeant? Haec res penitiorem sane meretur disquisitionem; ejus etenim summi committuntur errores.—Pisces, sylvas, metallorumque, ferri praesertim et cupri, fodinas, nec non vitri fabricationem, praecipuos esse Norvegiae Sveciaeque genti quaestus, satis notum

(1) «Perpetua illos (sc. Germanos) hyems et triste coelum premit» et mox «horrenda iniquitas coeli.» De provid. lib. c. IV. V. LUC. AN. SENECAE opera omnia. Edit. 4ta JUSTI LIPSII. Antverp. MDCLII. fol. p. 139.

(2) «Quis . . . . . Germaniam peteret, informem terris, asperam coelo, tristem cultu adspectuque, nisi si patria sit?» De situ, morib. et popul. Germaniae cap. II., et cap V. refertur, «terram esse paludibus foedam, humidiorem, qua Gallias, ventosiorem, qua Noricum ac Pannoniam adspicit.» C. CORN. TACITI opera. Edit. Tübing. MDCCXCVII-VIII. 8. Vol. II. p. 196 et 197.

est; summam vero, quam exigant, corporis contentionem, perversumque, quo peragantur, modum si attentius consideremus, eos non posse, quin sanitati noxas inducant, intelligemus. Qui oras maritimas habitant, incolarum alii per totum annum piscaturam exercent, alii vero mensibus aestivis peregrinas terras visunt, et quum, quod ex aestivo labore redierit, familiae per longam hyemem alendae vix unquam sufficiat, hyemali tempore hamulo uti coguntur. Pauperes itaque piscatores, ut, unde vivant, suis praebere possint, quovis fere die, qualiscunque sit tempestas, apertas scaphas conscendunt neque raro pluribus ab ora miliariis altum mare ingrediuntur, interdum quidem sine magno labore, vento secundo utentes, interdum vero summa cum molestia, vento flumineque adversis delati. Postquam vero ad locum, quem sibi proposuerant, pervenere anchoras iaciunt; procellis perflati pluviisque et exundanti mari humectati ab humido frigore eo plus patiuntur, si, quibus exhaustas vires refocillare possint, desiderent, et, si vel sudor, perseveranti fortique remigatione elicitus, repente supprimatur, vel ob longam in aëre frigido remoram exiguumque corporis motum cutanea perspiratio iusto parcius procedat et demum penitus inhibeatur. Neque raro evenit, tempestate nimirum et torrenti flumine

adversis, ut plures dies in alto mare agant, quod maiorem inducere perniciem, per se patet. Tali denique ex itinere reduces domicilia humilia, fumosa intrant, madidaque vestimenta, adipe rancido squaloreque imbuta, vel deponunt, siccandique gratia in dormitorio suspendunt, vel ipsis illis induti sese reficienti somno dant, proximoque mane eodem habitu, nondum siccato, muniti torum frugalem relinquunt. In utroque autem casu vapores aquosi, quos cubiculi hominumque eo inclusorum calor progenuit, inhalantibus poris absorbentur, atque ob impuritatem nocivas partes corpori adferunt.

Verum enim vero quamvis egenos homines, qui litora maritima vicinasque lacubus maioribus regiones (uti eas, quae circa *Wettern, Wennern, Hjälmarn* sitae sunt) habitant, et, neglecto aratro, piscaturam praecipue exercent, morbus imprimis amare videtur, tamen ex iis, quae hactenus sunt allata, abunde patet, me non iis assentiri, qui ad morbum producendum piscium esui solas vel maximas tribuant partes; verum contra potius credere, molestum piscium captandorum negotium in causa esse. Haec sententia etiam confirmatur, si id respiciamus, quod, paucissimis modo regionibus exceptis, per totam fere peninsulam nostram dira serpit labes. Testibus etenim

viris permultis fideque dignissimis, morbus tam in *Tellemarkia*, *Leerdalia*, *Oesterdalia*, *Gulbrandsdalia* aliisque Norvegiae provinciis interioribus, quam ad Oceani oras populariter grassatur; sicuti e Sveciae medicorum renuntiationibus satis elucet, eundum esse tam in boreali, quam in meridionali regni parte, tam ad litora, quam in provinciis ab his remotioribus optime cognitum. Sed utroque in loco easdem possumus morbi demonstrare causas. —Praeter piscium capturam, alias esse neque minus graves Scandinaviae populis quaestus parandi vias, sylvarum sc. excisionem materiarumque exportationem, metallorum effossionem nec non vitri fabricationem, quae multas magnasque satis secum molestias ducant, supra audivimus. Gravi arborum caedendarum labore rustico largus prorumpit sudor, qui plerumque subito supprimitur; atque ligna, demum dolata in ratesque constructa, per rivos lacusque deferentes, semper fere ad genua, nonnunquam ad umbilicum usque madidi totos dies degunt. Quem maritimum cursum si haud longius pergere possunt, reliquum ad urbes aliaque emporia iter terrâ faciunt; quod quum nocturnis atque matutinis temporibus fieri consuescat, a frigore multum patiuntur. Neque minus perniciosum occurrit negotium, quum tigna, ut ad peregrinas

terras vehantur, navibus demum imponantur; tunc etenim, imprimis ubicunque trabes exportandae sunt, non pedes solum, verum interdum tota etiam crura madefiunt, neque raro, quum primo sc. vere, quin hyeme frequentissime onerentur naves, prae frigore simul rigescunt. — Homines, qui in fodinis nostris vitrariisque officinis laborant, aeque operosam vitam degere, neque inhibitae cutis perspirationi esse minus obnoxios, vix opus est, pluribus ut ostendam. Hanc vero perniciem adhuc magis auget, quod plebis nostrae vestitus, utpote tenuis nimis, non potest a frigoris vi defendere, et quum raro vel nunquam lavetur et commutetur, summa etiam immunditie corpori nocet.—Jam satis probatum esse atque perspectum equidem suspicor, praecipuos nostrarum nationum quaestus id commune habere, quod prima, quam sanitati inducant, noxa in laesa cutis functione ponenda videtur.

Attamen, quia de perniciosa illorum negotiorum vi ita dissero, ne putetis, pisces, quales ab egena nostra plebe vulgo edantur, a me plane insontes iudicari. Pisces etenim *praepingves*, quibus imprimis litora nostra scatent, vel *induratos maleque salitos*, unde quibusdam in regionibus fere quotidie vivunt, vel *semiputridos*, qui nonnullis delicias adferunt haud parvas, sine valetudinis periculo assumi

posse, nemo sanae mentis contendet; nam e tali cibo non potest non chylus pravus confici. Atque alia praeterea nostrae plebis alimenta considerantibus multae rationes occurrunt, quae in hanc sententiam ducunt, ut pravi cibi inter horridi exanthematis, quod *Radesyge* vocant, vulgares causas summo iure adnumerari debeant. Neglecto hortorum agrorumque cultu, deficiente insuper salutarium herbarum sylvestrium notitia, vegetabilia admodum rarum, alimenta vero, ex animali regno desumta, tam aestate, quam hyeme quotidianum fere sistunt cibum. Quum vero natura nos ita constituisse videatur, ut vegetabiles pariter ac animales escas assumere debeamus, profecto non possumus ab hacce norma impune aberrare; quae tamen noxa, si non animalium solum fere omnium, verum paucorum etiam vegetabilium mala accedit indoles, incommodaque praeparatio, adhuc maior evadit. Norvegiae etenim Sveciaeque plebs carnibus vulgo vescitur bovum suumque, male nutritorum, fumatis, duris, salitis, rancidis, butyro insuper rancido, caseo acri, veteri praesertim, multo pulte avenaceo, rarius hordeaceo, pani plano azymo, saepissime avenaceo, raro hordeo intermixto (1), atque interdum,

(1) Talem panem planum Norvegi *Fladbröd*, Sveci *Knäckebröd* appellant.

si annonae gravitas urget, e molitis ossibus vel ipsis carnibus siccatis piscinis, arborum corticibus licheneve Islandico confecto. Videmus itaque utriusque nationis plebem cibos, digestu difficillimos, parce nutrientes, pravum chylum parientes assumere solitam esse. Atque ad haec omnia nil bibitur, quod ad functiones alacrius perficiendas possit organa chylopoëtica ciere; nam aqua simplex, interdum lacte mixta, frequentissimus est potus, cerevisia bona admodum rara, vel potius nulla.

Perlustratis demum pauperum domiciliis, nonne iterum multa occurrunt magnopere accusanda? Humilia sunt, humida etiam, haud raro ex unico modo cubiculo consistunt, in quo tota interdum familia una cum animalibus domesticis minoribus per dies noctesque moratur, alimenta parat, edit et bibit. Fenestrae, clavis fixae, solisque lucem parce transmittentes, aperiri non solent, neque liberiori puri aëris commutationi, neque cubiculi purgationi satis curatur. Unde vero efficitur, ut fumus aliaeque immunditiae inclusos homines infestent, cutaneosque poros, excernenda materia oppletos, adhuc magis obturent talique modo maiorem perniciem inducant.

Non difficile foret plura afferre testimonia, quae admodum pravam esse sanitatique minus convenientem Scandinavicae plebis oeconomiam

luculenter probarent; verum eos tantum errores, qui ad morbum producendum imprimis valere videantur, exposuisse sufficiat. Ex iis igitur, quae de plebis nostrae victus ratione hactenus sunt dicta, abunde patet, praecipua eius negotia, prava alimenta perversusque habitus et vestitus quantam ad morbum, quem *Radesyge* vocant, gignendum vim habeant.

Verum antequam Scandinavicam peninsulam relinquamus, silentio praeterire non debemus, expositam theoriam experientia egregie affirmari. Morbi etenim historiam perlustrantibus patet, eundem eo praesertim temporis spatio inter nationes nostras saeviisse, vel mox post eos increbuisse annos, quibus vel frigoris vis, vel annonae caritas, vel belli calamitas septentrionem nostram presserit. Ita querelae sunt declarandae, quas de horrendis mali post annos 1701, 1711, 1720, 1740 (1) incrementis boni Norvegiaci observatores movent; iisdem causis adscribendum est, quod per ultimum octennium in Norvegia eadem foeditas tam late serpsit; ita morbum imprimis post annum 1812 in Svecia gliscentem Lindbergsson (2) aliique Svecici medici agrorum sterilitati imputant.

---

(1) Mangors Underretning om Radesygen etc. p. 40. §. 17.

(2) Svenska Läkare-Sällskapets Handling. 2 Bd. 1 Hft. Stockh. 1814. p. 117.

Expositis ita causis, quae in *Norvegia* et *Svecia* diri morbi ortui praesertim favere nobis videntur, ad alias nos convertamus orbis plagas, simili malo iam vel olim vexatas inquisituri, an in iis etiam similes possimus caussas detegere.

Patriarcham JACOBUM, relicta ob annonae gravitatem Chananaea, cum tota familia in Ægyptum migrasse terramque *Gosen* occupasse, e sacra historia satis est notum. Sita vero erat *Gosen* in Ægypto inferiori, quae ob propinquum mare mediterraneum, ob multos lacus paludesque stagnantes *aërem humidum* nebulamque roremque frequentem patitur (1). Prima quidem decennia novis advenis felicissime fluxere; quum vero ob magnum eorum incrementum Ægypti Pharao timeret, ne suis copiosiores fierent itaque ipsum regno privarent totaque demum Ægypto potirentur, pluribus modis eos infirmare coepit. Calamitate itaque ad summum perducta, Isdraëlitae Ægyptum reliquere, Mosisque ductu et auspiciis per Arabiam migrantes tandem in terram promissam venere. Multis vero cum molestiis conflictarunt, antequam Chananaeam intrarunt; quadraginta

(1) LEONH. LUDV. FINKES Versuch einer allgemeinen medicinisch-praktisch. Geographie. 1ter Th. Leipz. 1792. p. 278-313. — 3ter Th. Leipz. 1795. p. 183-187.

etenim annos per regiones desertas, steriles vagantes vitae necessitates commodaque saepe desiderarunt. Praeterea quum genti suae Moses munditiei curam commendaret cibosque, qui minus salubres merito censeantur, severe interdiceret, eiusdem vivendi genus fuisse hisce legibus oppositum probabilis saltem est coniectura. Neque serioribus temporibus sanitati magis consentaneam fuisse vel leprosis morbis generandis minus favisse suetam in Ægypto vivendi rationem, quae scripta reliquere viri fidissimi, satis superque docent. Ita cibis pultariis, farinosis, salitis aegreque digerendis, nec non calida aëris temperie elephantiasin Alexandriae generari, GALENUS fatetur (1). Famem insuper longam et calamitatem, quae eam comitari solet, ad lepram, uti ad plures alias cutis affectiones gignendas multum valere alio loco dicit; consumtis etenim per hyémem salubrioribus alimentis, multas gentes toto vere ineunteque aestate ad arborum fruticumque germina, turiones, stirpiumque radices et alia edenda esse coactas testatur, quibus vescendi ne periculum quidem antea fecerant (2).

(1) Ad GLAUCONEM de medendi methodo lib. II. c. 12. V. HIPPOCRATIS et GALENI operum Tom. X. p. 390. Edit. CHARTERII Lutet. Paris. MDCLXXIX. fol.

(2) De probis pravisque alimentorum succis lib. c. 1. Ead. edit. T. VI. p. 417-418.

Lepram et elephantiasin pauperibus praesertim Ægyptiis familiarem esse, qui inopia coacti aëris intemperiei sese exponant pravisque cibis et potibus utantur, v. c. aqua coenosa, piscibus salitis et semiputridis, caseo quodam salito et semiputrido, omnium ciborum egenis frequentissimo ipsisque nomine *Gibnehalon* cognito, suo tempore Alpinus queritur (1); neque Larrey de horum morborum causis multo aliter loquitur, egenorum neglectam cutis curam simul adiiciens (2).

Progredientes iam ad *veterem Graeciam Romanumque imperium*, non easdem possumus causas demonstrare; omnes etenim harum terrarum scriptores de morbi origine tacent. Leprosa autem mala priscis Graecis Romanisque non multum cognita fuisse, supra (3) monitum est; quae illorum progressus tantopere retardarunt, in sequenti sectione aptius explicabuntur. De morbis leprosis, quales per *medium aevum* tota fere in Europa saevierint, multi non medici solum, sed etiam historici conqueruntur. Huius autem aetatis negotia si

---

(1) Prosperi Alpini de medicina Ægyptiorum lib. I. c. 13-14. Paris. MDCXLV. 4. p. 25-26.

(2) Memoir. de chir. milit. et campagn. de D. J. Larrey. Paris 1812. Tom. II. p. 75 et 92.

(3) V. p. 41-46.

attentius consideraveris, ad istiusmodi mala producenda alendaque ea non potuisse non plurimum conferre sane fateberis. Sacro furore perciti per duo circiter saecula (1096-1291) in barbaras gentes ruere immanes Christianorum greges; et quum tales expeditiones vix essent diu praeparatae et immensi exercitus ab hominibus undequaque collectis confecti nec non plura centena milliaria peragranda, sacros cruciatos fame, pravis alimentis, tempestate aliisque molestiis summopere vexatos fuisse, magna est satisque probabilis suspicio. Complures insuper illius aetatis scriptores, uti Theodoricus (1), Gordonius (2), Gaddesden (3), Arnaldus (4), qui de leprosis morbis commentati sunt, inter praecipuas eorum causas malos cibos presse nominant. Illis autem malis, quae temporum ratio attulit, adhuc accedit, quod, qui nondum erant infecti, non satis sese a contagio cavebant; nam quum morbum a Deo proxime missum putarent et pro via haberent, qua summi numinis amorem acquirere

(1) Chirurgia. De lepra. c. 55. Art. chirurg. script. collect. Venet. Junt. fol. 1546. Hensl. Excpt. p. 32-33.

(2) Lilium medicinae I. c. 22. Hensl. excpt. p. 43.

(3) Rosa angl. pract. medic. II. c. 7. Papiae 1492. fol. Hensl. excpt. p. 51.

(4) Arnaldi de villa nova opera nupertime recusa. Lugd. MDXXXII. fol. De lepra breviar. II. c. 46. p. 186.

aeternamque sibi felicitatem parare possent, non est, quod miremur, homines plebeios, quin ipsos reges papasque adeo longe in inepta ista pietate progressos fuisse, ut cum leprosis versarentur, eos foverent, ministrarent, domibus exciperent, lavarent bolosque in os ingererent, quin ore proprio pedes manusque leproso ichore madida oscularentur (1). Lanea demum vestimenta, quae tunc temporis lineis aliisve multo frequentius in usu fuere (2), ad morbum propagandum haud parum contulisse videntur, utpote quae contagiosam vim diutius retineant. — Plura quidem fuere, quae dirae labis per mediam aetatem incrementum efficerent; omnem vero prolixitatem evitaturis praecipua modo, quae morbum, inter Europae gentes antea parum cognitum, frequentiorem redderent, sunt circumspicienda.

Haec vero praeprimis de *Gallia*, *Germania coeteraque meridionali Europa* valent. Ad boreales eiusdem terras nos convertentes *Daniam* primum consideremus, quam leprosis morbis

(1) Talium priorum nomina qui cognoscere cupiat, is adeat vel Ph. G. Hensler vom abendl. Aussatze u. s. w. p. 215-219, vel Curtii Sprengel Versuch einer pragmat. Gesch. der Arzneik. 2ter Th. Halle 1800. p. 488-489.

(2) Sprengels Vers. einer pragm. Gesch. der Arzneik. 2ter Th. p. 490.

olim graviter vexatam fuisse *Henrici Smid* (1) *et Christierni Pedersen* (2) scripta satis superque testantur; neque in ea ad gignendos eos alendosque minus graves causae contulerunt. Nam etiamsi magis adversus meridiem, vel aliquot gradibus, sita est Dania neque ad montuosas orbis plagas numerari potest, inter ejus tamen et Scandinavicae peninsulae regionum, quas maxime tenet morbus, occidentalis sc. et meridionalis, clima tam exiguum intercedit discrimen, ut *Bergenses et Christiansandienses*, Hafniam aliave Daniae emporia visitantes, nullam querantur aëris differentiam. Id quod aliter esse nequit; utraque etenim terra, maxima ex parte mari circumflua, praesertim in regionibus Oceano finitimis, nebuloso humidoque aëre gaudeat, necesse est; et quod ab acuta

---

(1) Henrich Smids tredie Urtegaard etc. Kbhffn. MDLVII. 4. Cap. CX. Om Spedalsk Sot. Blad CXXXVII.

(2) En nöttelig Legebog ffaar Fattige och Rige, Unge och Gamle etc. Malmö MDXXXIII. 4. Udskreffuen paa Danske aff Christiern Pederssen, Canik i Lund. Cap. CX. Bl. LXXXII. Faar Spedalsk Soth. Quamvis in hoc libro nullam legimus leprosi morbi descriptionem, tamen, quum in praefatione, uti Christianus Morsianus in prooemio libri Smidiani, nuper laudati, auctor ipse testetur: « at han haffuer ud-dragit denne Laegebog den menige mand til nötte och tjeniste aff mange merckelige Latin-och Tydske Böger, » concludere licet, eundem fuisse in Daniae imperio eo tempore bene cognitum.

illa aura «*Snoe*» Norvegi Svecique, angustas valles habitantes, patiuntur, id Danis, planiorem colentibus terram, frequentes venti, imprimis solani compensant. In universum itaque dicere possumus, idem fere esse, saltem in oris maritimis, peninsulae nostrae meridionalis et occidentalis Daniaeque clima. Considerata porro priscorum Danorum vivendi ratione, nonne multa occurrunt summe accusanda? Teste SAXONE, tanta fuit fretum, quod hodie *Oeresund* salutatur, suo tempore piscium frequentia repletum, « ut interdum impacta navigia vix remigii conamen eriperent, nec jam praeda artis instrumento, sed simplici manus officio caperetur (1); » et paullo ante (2) de piscium multitudine in *sinu. Lymico* loquitur. Pisces demum ad Daniae litora magna olim abundantia confluxisse, et TH. BARTOLINUS auctor est (3), et e noto illo responso elucet, quod peregrinis, patriae divitiis exsultantibus, legatus quidam dedit. Vix opus esse credo, pluribus ut commonstrem, piscium capturam veteribus Danis suetam fuisse quaestus parandi

(1) SAXONIS GRAMMATICI historiae Danicae libri XVI. E recens. STEPH. JOANNIS STEPHANI edid. CHRIST. ADOLPH. KLOTZIUS. Lips. CIƆIƆCCLXVI. praef. p. 68.

(2) E. p.

(3) De medicina Danor. domestica p. 285. Diss. VI. de [illegible] Danor. domestico.

viam. Quum vero piscatores multis obluctentur molestiis aërisque vicissitudinibus sint eo magis expositi, quod vere praesertim atque autumno, utpote anni temporibus, quibus ad borealium nostrarum terrarum oras pisces soleant immensis gregibus conglobari, laboriosum suum negotium agant, cutanea perspiratio ne impediatur, magnum est periculum. Jam ex hacce piscium circa Daniae oras ubertate concludere licet, pisces quotidianum exhibuisse veteribus Danis cibum, nisi insuper idem e Th. Bartholini verbis (1) atque e fama pateat, quae inter plebem nonnullis in Jutiae regionibus adhuc viget, aliquem, quum sese olim alicui servum conduceret, sibi quibusdam modo per hebdomadam diebus salmonem fuisse stipulatum (2). Verum quum prisci Daniae incolae fastidio cibisque pure et bene praeparandis egenos Norvegos Svecosque, qui nunc vivunt, vix superarent, probabile saltem est, eos non pisces solum, verum alia etiam alimenta depravata promiscue assumsisse. Historia teste, agrorum cultus erat eadem aetate in

---

(1) De medic. Danor. domest. p. 285. Diss. VI. de victu Danor. domest.

(2) Chorographisk og oekonomisk Beskrivelse over Randers Kjöbsted i Nörrejylland af Skabbjörn Ascanius Stadfeldt. Kbhvn. 1804. 4. p. 65.

Dania multum neglectus publicaque quies et securitas intestinis bellis turbatae.

De horrendi mali in *insulis Faeroeensibus* frequentia suo tempore Debes multum queritur (1); neque sunt causae, quae ibidem morbo gignendo alendoque faverint, detectu difficiles. Non opus est autumare, morbum per primos colonos esse e Norvegia istuc apportatum solaque ideo contagione ibi propagatum; quae opinio, quum et historia hac de re taceat et possibile sit, primos advenas nulla secum attulisse morbi semina, vix firmis argumentis suffulta est. Tali vero explicatione non egemus, ubi facilius possumus longeque certius pristinam morbi saevitiem declarare. Aërem etenim in insulis Faeroeensibus modice frigidum esse atque humidum supra (2) audivimus, piscationem imprimis priscos incolas exercuisse,

(1) Faeroae et Faeroa reserata, d. e. Faeröernis oc Faeröiske Indbyggeris Beskrifvelse. Af Luc. Jacobs. Debes. Kjöbhfn. 1673. p. 283-284. Dicit quidem celeb. Th. Bartholinus in opusculo, quod de morbis biblicis anno 1672 luci commisit « lepram fuisse in insulis borealibus Faeroeensibus et Islandia olim familiarem, sicuti nosocomia ibidem exstructa testantur, quae nunc vacua ruinam minantur, « nullo autem indicato fonte. (Th. Bartholini de morb. bibl. miscell. medica p. 41). Praestat vero Lucae Debes fidem habere; qui, ipse autoptes, anno post scripsit ideoque forsitan Bartholino nondum cognitus.

(2) P. 56.

semiputridas carnes piscesque praecipuum fuisse cibum Debes testatur (1).

In *Islandia* frequens est morbus iis in provinciis, ubi ad vitam sustentandam incolae pisces captare coguntur, admodum rarus vero in aliis, quae minus laboriose ea largiuntur, quae ad victum suppeditent. Succedente igitur olim piscatura, in boreali eius parte, quam ab antiquissimis inde temporibus lepra afflictam fuisse vetustissima manuscripta docent, plures occurrerunt leprosi, quam anno circiter 1755, quum, iubente augustissimo Daniae rege moderanteque regia societate scientiarum Hafniensi, Olafsen et Povelsen, viri doctissimi, e quibus haecce desumta sunt, insulam inviserunt (2). At testantur etiam iidem viri, homines, septentrionalem insulae partem habitantes, salubriore gaudere aëre sanitatique praeterea magis consentanea uti vivendi ratione (3); nam quum piscatio iis minus prospere cedat, non solum altum mare rarius ingrediuntur ideoque frigori et humori sese minus exponunt, verum etiam a nocivo praepinguium, quos fere solos istud mare fert, piscium esu

(1) L. c. p. 104.6.

(2) Vice-Lavmand Eggert Olafsens og Land-Physici Bjarne Povelsens Reise igjennem Island. Soröe 1772. 4. 1 D. p. 685.

(3) L. c. p. 685.

sese magis abstinere coguntur. Cum hisce vero, quae ab Olafsen et Povelsen dicuntur, egregie congruit silentium, quo morbum praeterit Olavius; quem si in Islandia grassantem observasset, sane vir, qui per boreales insulae partes iter fecerat, in suo itinerario, anno 1780 edito (1), nefandum malum commemoratione dignatus esset. Opinatur quidem, multas Islandiae minerales aquas, balneorum more adhibitas, ad chronicos morbos inhibendos exstinguendosque conducere posse (2); verum ne verbo quidem ibi leprae mentionem facit.

Neque demum pauperum *Scotorum et Canadensium* aliud invenimus vivendi genus, atque apud egenam peninsulae nostrae plebem; agrorum etenim cultu neglecto, piscatio aliaeque venandi rationes vulgares sistunt vias, unde quaestum sibi laboriose parent (3).

Ante vero quam causarum hanc comparationem relinquamus, duae quaestiones primum veniunt disceptandae, sc. an *contagiosam* simul et *haereditariam* indolem morbus, nostratibus

---

(1) Oekonomisk Reise igjennem de nordvestl., nordl. og nordostl. Kanter af Island ved Olaus Olavius. Kbhvn. 1780. 4.

(2) L. c. 1. Bd. p. 304.

(3) L. L. Finkes Vers. einer allgem. medic. prakt. Geographie. 2 Bd. p. 9-23, et 3 Bd. p. 266-268. Conf. Neueste Länder- u. Völkerkunde. 17 Bd. Weimar 1814. pp. 329, 333 et 341.

Radesyge nomine cognitus, aliarumque orbis plagarum lepra vel elephantiasis communem habeant. — Quamvis argumenta vel gravissima, v. c. diuturna sanorum cum aegris cohabitatio impunis, quin salvum tale conjugium, morbum ab inficiendi culpa vindicare videantur, tamen, qui, hac similibusve rationibus innixi, exanthemati nostro contagiosam vim negent, ii vix considerant, nullum fere esse morbum, si maturuerit, quin, faventibus rebus, ad alterum possit propagari. Contagium etenim, ut ab altero aegroto ad alterum transferatur, huius exigit facultatem ipsum suscipiendi tenendique, quam *dispositionem*, *opportunitatem* sive διάθεσιν pathologi vocant, quae si in homine, contagio exposito, aut nulla sit, aut si contagii vis aliquo modo infirmetur et penitus tollatur, nullam sequi infectionem per se patet. Ita declaramus, homines, etiamsi sese infectioni exposuerint, a morbis, qui vel maxime contagiosi merito censeantur, v. c. scabie, typho, syphilide, semper immunes fieri; simili modo intelligimus, nonnullos ab exanthematicis febribus, quas naturae lege obstricti omnes semel pati solemus, per totam vitam plane intactos inviolatosque manere; pari ratione explicanda equidem puto exempla, quae homines posse sine ullo sanitatis detrimento sese nostrae cachexiae infectioni subiicere docent.

Homines itaque, contagio impune expositos, aut nullam habuisse ad idem suscipiendum opportunitatem, aut consuetudinis vi et iusto vitae victusque moderamine virulentiam a sese avertisse, non est, quod non suspicer. Quae autem opinio eo confirmatur, quod experientissimi viri, uti MANGOR (1), VOUGT (2), CEDERSCHJOELD (3), contagiosam morbi indolem expresse agnoscunt. — Ad alteram iam quaestionem properamus, an a parentibus ad liberos transeat morbus. Verum rationi satis consentaneum videtur, neque patrem, diuturna labe confectum, posse bonum semen elaborare, neque cachecticam matrem foetum omnino sanum in lucem edere. Recens itaque natus vel mox satis perspicua ipsius parentum morbi vestigia prodit, vel ejusdem seminia saltem, adulta demum aetate pullulantia, secum fert. Interdum vero evenit, ut immunibus parentibus, ab avis, quin proavis ad nepotes transiliat malum, vel ut mater alios infantes morbo jam vexatos, alios a foeditate prorsus liberos parere videatur; id quod e vivendi ratione

---

(1) Underretning om Radesygens Kjendetegn o. s. v. §. 20. p. 43-46.

(2) Diss. inaug. sistens observat. in exanth. arctic. §. 7. p. 12-13.

(3) Inledng. till närmare kännedom om de s. k. urartade veneriska Sjukdomarne etc. p. 38.

ita mutata, ut latens sub cinere scintilla subinde et penitus exstinguatur, egregie intelligitur.—Verum historiam pervolventes invenimus, eandem fuisse omni memoria de lepra et elephantiasi sententiam. Veteres etenim pariter ac hodiernos medicos contagiosam ejus naturam plane persuasam habere, sollicita cura luculenter probat, quam a *Mosis* inde temporibus in aegrotis a sanis segregandis posuerint, et quae ex iis, quae posteriori sectione exponentur, uberius patebit; iisdemque suspicionem esse haereditariae indolis, Arabum, Arabistarum reliquorumque medii et recentioris aevi auctorum effata satis commonstrant.

Ex omnibus vero, quae de causis hactenus attulimus, summa quoque earundem similitudo elucescit. Videmus etenim, perspirationem cutis impeditam, pravum victum, neglectam cutis curam, nec non propagationem per contactum et generationis actum praecipuas esse causas, quae nostrum morbum pariter ac veterem hodiernamque lepram vel elephantiasin progignere alereque valeant. Verum etiam inter symptomata intimam intercedere convenientiam, ex iis, quae supra ea de re fusius peracta sunt, egregie apparet. Attamen morbi, qui, iisdem oriundi causis, eundem servant decursum eademque phaenomena ostendunt, summo jure eidem generi

subjiciuntur. Nostra igitur horrendae luis cognitio, quae, nomine *Radesyge* insignita, Scandinaviam tantopere exagitat, de cujusque natura nobis nuper non plus constitit, quam ad exanthematicas eam cachexias pertinere, jam adeo increvit, ut nulla amplius sit dubitatio, quin morbosa sit affectio, veterum et recentiorum leprae et elephantiasi proxima. — Verum etiamsi exanthematis nostri summam cum aliarum terrarum leprosis morbis convenientiam evincere studuimus, tamen non ii sumus, qui idem cum aliis aegritudinibus, quibuscum a viris non paucis confunditur, sicuti scorbuto, syphilide, posse complicari negemus; quin lubenter concedimus, illud saepe saepius cum hisce adeo mixtum prodire, ut, nisi ad symptomatum decursum respiciatur, quaenam signa, scorbutica, syphilitica, an vere leprosa, praevaleant, quinamve morbus principalis censendus sit, non facile intelligatur.

Verum enim vero antequam huic sectioni finem imponamus, quonam nomine, *lepra*, an *elephantiasi*, aptius insigniatur morbus, breviter disquirere a re non alienum videtur. Morbum, qualem sese in peninsula nostra exhibeat, si maturuerit, ad squamas formandas tendere, supra multis est commonstratum; id non secus obtinere aliis in terrae plagis,

similì malo afflictis, ex auctorum descriptionibus probare vel saltem probabile reddere conati sumus. Quum vero denominatio, quo clarius rem designet, eo sit aptior, eam, qua princeps maturi mali symptoma maxime patefiat, eligere oportet. Ob multifariam morbi cum animali elephante similitudinem, ob ejus diuturnitatem et gravitatem, ut GALENI (1), ARETAEI (2) AËTII (3) et MACRI (4) verbis utar,

---

(1) Methodi medendi lib. II. c. 2. HIPPOCRATIS et GALENI opera. Ed. RENAT. CHARTERIUS. T. X. p. 29; ubi GALENUS, varia de ratione, qua veteres medici morbis nomina imposuerint, agens, de nostrae pestilentiae nominis origine ita dicit: ἐνίοτε δὲ ἀπὸ τῆς πρός τι τῶν ἐκτὸς ὁμοιότητος, ἐλέφας; « his vero verbis » τί τῶν ἐκτὸς » vix aliud, quam bellua ipsa elephas, intelligitur.

(2) ARETAEI CAPPADOCIS de causis et signis morbor. diuturn. Lib. II. c. 13. Edit. HERM. BOERHAAVE. Lugduni Batav. MDCCXXXV. fol. p. 67-69, ubi ipsam morbi descriptionem prolixa satis longeque petita eiusdem cum elephante comparatio antecedit, hisce verbis incipiens: « Ελέφαντι τῷ παθεῖ καὶ τῷ θηρίῳ τῷ ἐλέφαντι ξυνὰ μόρια, καὶ ἰδέη, καὶ χροιῇ, καὶ μεγεθεῖ, καὶ βιοτῇ. »

(3) « Elephantiasis quidem a *magnitudine* et *diuturnitate* nomen accepit. » V. TETRABIBL. IV. serm. 1. c. 120. v. medicae artis principes post HIPPOC. et GALEN. ed. HENR. STEPHANI. MDLXVII. fol.

(4) « Est leprae species elephantiasisque vocatur,
Quae cunctis morbis *maior* sic esse videtur,
Ut maior cunctis elephas animantibus exstat. »
ÆMIL. MACER de herb. virt. V. Medici antiqui, qui latine scripsere. Venetiis MDXLVII. fol. p. 231.

veteres nodosam formam *elephantiasin* nuncuparunt, cui voci etiam recentiores eandem vim subjiciunt; quam vero utpote angustam nimis, admitti non posse, nemini non facile patet. Verum hac culpa vox *lepra* caret, quae, a λεπίς formata, non solum primo statim intuitu docet, asperae cutis per cortices squamasve secessum vel satis distinctum saltem eas formandi nisum esse utriusque evoluti morbi formae praecipuum characterem, verum etiam ad Norvegiacam mali appellationem « *Radesyge,* » sicuti nos eam derivavimus, egregie respondet. Binae autem ejusdem formae dici possunt, *squamosa* altera, quam solis squamis stipatam videmus, *nodosa* vel *tuberosa* altera, quam tubercula simul comitantur.

SECTIO II.

De via atque ratione leprae e Scandinavia pellendae novaeque contagionis avertendae.

Causarum cognitionem princeps esse morbi avertendi tollendique auxilium, ideoque, perspectis leprae causis, praesidia, quae ad eam exstirpandam in peninsula nostra adhiberi debeant, sine magno negotio posse inveniri, non est, quod negemus. Verum ut de remediorum efficacia certiores fieri eademque tanto maiori cum boni eventus spe apud nos experiri possimus, ex ipsa historia viam atque rationem eruere, quâ aliae terrae, morbo olim vexatae, eius propagationem inhibuerint eodemve prorsus liberatae sint, vel quâ a tristi contagione intactae inviolataeque remanserint, non inutile neque ineptum censemus. Perlustrata etenim variarum orbis plagarum historia, si nobis probare contigerit, morbum ubique iisdem bonis

praeceptis atque institutis evanuisse, vix perperam concludimus, terram quamlibet, ubi eadem cura eademque cautio adhibeatur, posse a diro malo liberari. Breviter itaque expositis, quae ad lepram avertendam, retardandam penitusve fugandam aliae terrae tentarint, vel quae eodem consilio ipsa natura experta fuerit, videamus, quid de Scandinavica peninsula sperare possimus (1).

Primum autem indagemus, quae ad tristem pestem expellendam in *Ægypto* facta sint, non quia nobis omnino persuasum est, hanc terrae plagam, uti complures credunt, esse foedi morbi primam genitricem, eumque inde ad vicinas primum, dein ad coeteras terras evagatum, sed quia primam nostram hujus mali cognitionem genti debemus, quae, pluribus saeculis in Ægypto transactis, lepra infecta emigravit. Ægypti incolas fuisse a summa inde memoria leprosis morbis graviter vexatos, omnium temporum historia abunde docet. In scriptura divina satis frequens eorum mentio occurrit:

---

(1) Verum etiamsi progredimur, uti cum terra nobis res sit, in qua nulla hactenus luis serpentis coercendae pericula facta sint, ne putetis, quae ad eam penitius cognoscendam fortiterque inhibendam summum imperium iamiam iusserit, omnia ea ingratos nos ignorare.

« Est elephas morbus, qui propter flumina Nili Gignitur *Ægypto in media*, neque praeterea usquam. »

Lucretius canit (1); hanc aliamque formam, quam lepram salutemus, in Ægypto endemiam esse Prosper Alpinus queritur (2); eundemque morbum hodierno etiam tempore esse ibidem multo familiarem recentiores peregrinatores testantur (3). At de remediis prophylacticis Ægyptiis usitatis omnes tacent; quaproter quae ad horrendam labem extirpandam ista in terra tentata fuerint, non possumus certe scire. Suspicari tamen licet, jam in vetere Ægypto easdem fuisse salutiferas leges servatas, quas ad gravissimum malum compescendum genti suae migranti *Moses* inculcaverit. Hunc etenim virum, Ægyptiaca medicina diligenter imbutum, illa praesidia vel in Ægypto, ubi a prima infantia educatus erat, didicisse, vel, si in desertis Arabicis ipse eadem excogitasset, admodum mature ea vicinis Ægyptiis innotuisse atque in usu fuisse, vix temere statuitur. Illae vero leges non minus viri

(1) Titi Lucretii Cari de rerum natura Lib. VI. v. 1112. Edit. Gilberti Wakefield. Londini 1796-97. 4.

(2) P. Alpini de medic. Ægyptior. Lib. 1. c. 13 et 14. Paris. MDCXLV. 4. p. 25-26.

(3) Mem. de chir. milit. et camp. de D. J. Larrey. Tom. II. Paris 1812. p. 68-96.

popularium saluti optime prospicientis, quam penitiori horrendae luis cognitione imbuti firmissima sane argumenta sistunt. Ægrotos a sanis separari extraque castra habitare solos jussit, salubriorem diaetam sollicitamque munditiei curam commendavit legislator ille divinus; verum quum lepram, sicuti coetera omnia mala, ab irato numine ob perpetrata crimina hominibus mitti Israëlitae putarent, ad Deum placandum sapiens idem Moses fumigationes piaculaque instituerat, quae si *Jehova* propitius acciperet, aegroti a foedo morbo liberarentur. Bona vero haec praecepta an inter Judaeos scopum perfecerint, non audemus dicere; nam de successu nil legimus. Ea tamen, quamdiu Israëlitae, omnibus vitae commodis rebusque ad victum necessariis orbati, in desertis Arabicis vagarentur, non multum profuisse, admodum probabile est. Postea vero quum, Chananaea tandem occupata vagaque relicta vita, agros colere maiorique frui quiete incoeperunt, iure opinari licet, morbi frequentiam nonnihil decrevisse; quamvis non negandum est, in terrae plaga, morbis cutaneis gignendis fovendisque eximie favente, atque etiam inter populum, naturâ prae coeteris in immunditiem proclivem, non sine maxima cum difficultate longoque interiecto temporis spatio posse tantam foeditatem penitus exstingui.

Ad sanitatem tuendam morbosque profligandos corporis in aqua lavationem apud *veteres Graecos*, vel Hippocrate priores, summo in honore fuisse maximamque habuisse fiduciam, non desunt, quae testentur. Balneis etenim tepidis, utpote Herculi consecratis, fessas vires restitui Herculeumque robur recuperari posse athletae putaverunt (2); plurima etiam Asclepia aliaque Deorum medicorum templa fuere vel ad salutares fontes fluviosque sita, vel veris thermis praedita, quarum aquae ejus aetatis homines tantam tribuere medicatricem vim, ut omnia alia remedia supervacanea judicarent (1). Sollicita autem haec munditiei corporis servandae cura praecipua sine dubio causa fuit, cur in Graecia lepra, nodosa imprimis, tam lento gradu irrepserit. Eam ne Hippocratis quidem tempore ibi fuisse populariter grassatam vel inter Graecos tam crudeliter saeviisse, atque inter alias ejus aetatis florentes nationes, supra monuimus; id quod vel inde patet, quod in operum thesauro, quae sub celebris Coi nomine vulgo feruntur, nullam legimus curam aut prophylaxin huic malo speciatim commendatam. Inter remedia vero

(1) K. Sprengels Vers. ein. pragmat. Gesch. d. Arzneik. 1 Th. Halle 1800. p. 176.

(2) Lib. nup. cit. pp. 183, 195, 199.

diaetetica, quibus ad bonam valetudinem servandam summus hic vir, verus hygieines conditor, plurimum tribuit, balnea sane non infimum locum tenent. Sapienter accurateque indicat, quo tempore et quali ratione adhiberi debeant, quando frigida, quando tepida conducant, quibusnamque sint morbis opponenda (1), cutaneorum vero vix ulla facta mentione. Postea vero, quum ob frequentius cum gentibus, Phoenicia praesertim et Egyptia, eadem foeditate antiquitus graviter vexatis, commercium per Graeciam lepra in dies latius emanasset, ejus cohibendae remedia expresse commemorata inveniuntur. Etiam inter Graecos contagionis metu receptum fuisse morem aegros a sanis segregandi in locosque solitarios deportandi Aretaeus testatur (2). Porro ex iis, quae de longorum morborum medela idem vir ait, apprime videre licet, *summam cutis munditiem, balneis* praesertim tam mere aqueis, quam

---

(1) De victu acutor. c. XXXI-II. Ed. v. d. Linden. Vol. II. p. 294-96; passimque in libris de diaeta. Ead. edit. p. 179-263.

(2) Τοιῦςδε ὦν ἐόντας τίς ὂκ ἄν φύγοι, ἤ τίς ὂκ ἄν ἐκτραπείη, κἤν υἱός ἤ πατὴρ ἔη· κἤν κασίγνητος τύχῃ· δέος και αμφὶ μετάδόσιος τῦ κακῦ. πολλοὶ γῦν επ' ἐρημίης καὶ ες ὄρεα τυς φιλτάτυς ἐξέθεσαν. V. Aretaei Cappadocis de caus. et sign. morb. diutur. Lib. II. c. 13. Ed. Herm. Boerhaave. Lugd. Batav. MDCCXXXV. fol. p. 71.

medicatis *servatam, cibosque digestu faciles beneque nutrientes* gravissima fuisse remedia, quae adversus diram labem popularibus suis commendaverit (1). Per plura quidem post Aretaeum saecula Graeciam lepra atque elephatiasi afflictam fuisse, non desunt, qui testentur; verum sicuti in singulo homine, quem affecerit, diuturna labes, ut radicitus tollatur, ita populare etiam malum, per longam annorum seriem non turbatum, ut penitus exstinguatur fortiterque avertatur, severa diuque praeparata instituta exigit. Quam ob rem successus, quem sapientissimae Aretaei leges exseruerint, apud Galenum frustra quaerimus renuntiationem; bono autem fructu eas non caruisse, postea breviter perstringemus.

Etiamsi eadem fere hac aetate leprae mentionem facere incipiunt Romanorum scriptores, tamen, si Celso (2), Plinioque (3) fides habenda, eam, praesertim vero formam, quam

---

(1) Aret. Capp. de curat. morbor. diuturnor. Lib. II. c. 13. Edit. nup. laud. p. 134-136.

(2) « Ignotus paene in Italia, frequentissimus in quibusdam regionibus is morbus est, quem ἐλεφαντίασιν Graeci vocant; » A. Corn. Celsi de medic. lib. III. cap. 5. Editio Bipont, CIↃIↃCCLXXXVI. p. 181.

(3) « Diximus elephantiasin ante Pompeii Magni aetatem non accidisse in Italia. » C. Plinii Sec. hist natural. lib. XXVI. cap. 5. Edit. Bipont. CIↃIↃCCLXXXIV. p. 261.

nodosam vocamus, in Italia non tam faciles celeresque progressus fecisse, atque in omnibus fere orientalibus maris mediterranei provinciis, jure suspicari licet. Obstaculis etenim, quae ipsa illorum temporum ratio secum tulerit, attente consideratis, horrendae luis per primas imperii Romani periodos raritas aliquatenus saltem declarari potest. Veteres Romanos in duas classes, militum sc. et agricolarum, distributos fuisse satis notum est; illi vero bella semper feliciter gessere ideoque, quas ea inducere solent, molestias minus sensere, dum hi, agros tranquille colentes, a publica perturbatione fere nihil passi sunt. Quantam operam urbis munditiei dederint, exstructae cloacae, quantam corporis cultui, balneorum thermarumque luxus (1) satis superque commonstrat. Porro quum Romani, sicuti omnes paene coeteras artes, ita et medicam a Graecis Italiae colonis mature accepissent, Graecos medicos aeque fere mature Romam advenisse morborumque curationem

---

(1) Antiquorum populorum, Romani praesertim, balnea qui penitius cognoscere cupiat, egregiam eorum descriptionem tristemque, quam habuerint, sortem in opusculo: « Über die Bäder des Alterthums, insonderheit der alten Römer etc. von Dr. Engelbert Wichelhausen, Mannheim u. Heidelberg 1807. 8. » inscripto reperiet.

et prophylaxin adhibuisse, veri admodum simile videtur. Omnia autem haecce vero effecisse, ut leprosi morbi inter Romanos tam lento gradu irrepserint, vel eo confirmatur, quod causae, quas eorum introitui prohibendo ipsa quasi natura opposuisset, non prius erant semotae, quam eadem fere saevitie, qua alias bene multas tunc temporis cognitas terras diu vexasset, Romanum etiam imperium dira labes exagitare coeperit. Namque post finitum bellum Punicum secundum adhucque magis post constitutos imperatores, populum Romanum intestinis bellis tantopere conquassatum civiumque et imperatorum libidinibus aliisque flagitiis adeo demum fractum videmus, ut, cui olim tot gentium potestas dominatusque fuisset, civitas, subinde ad exitum properans, tandem dissolveretur. Verum tantae publicae calamitati, per se longis morbis, cutaneis praesertim, gignendis et disseminandis faventi, adhuc accedit, quod Romani, increbescente per eandem aetatem cum Oriente commercio, frequentiori validiorique horrendae luis contagioni magis expositi erant, et, moribus ad summam denique mollitiem luxuriemque lapsis, incredibilis ferme balneorum thermarumque abusus ibique sanorum hominum cum infectis aegris incauta consuetudo ad lepram et elephantiasin, sicuti alios contagiosos morbos ulterius spargendos, sine dubio multum contulerunt.

Quanta crudelitate in omnes paene Europae gentes per mediam aetatem lepra saevierit, quaeque causae ad generandam eam atque alendam praesertim conduxisse videantur, supra audivimus (1); qua vero via et ratione postea sensim evanuerit eadem, jam sumus breviter expositur. — Balneorum usus, quem per X - XI - XII saeculum neglectum fuisse *Moehsen* queritur (2), sacris bellis multo frequentior evasit. Lepra etenim in dies latius latiusque serpens effecit, ut illorum necessitas melius intelligeretur, sicuti Orientem imitandi studium ad aptiorem splendidioremque eadem exstruendi instituendique modum contulit (3). Tantoque demum numero increvere, ut cuivis fere monasterio suum esset, ubi pauperes gratis possent corpus lavare et scarificare (4). Verum sicuti quaevis paene res, qua diu abutimur, ruinam demum ac exilium minatur, ita incauta etiam publica balnea adhibendi ratio, qua inficientes morbi adhuc magis gliscerent, tandem causa fuit, quare honorem auctoritatemque subinde amitterent; quin, quum post

---

(1) P. 67 et sequ.

(2) Wichelhausen über die Bäder d. Alterth. insonderh. der Römer. Manh. und Heibd. 1807. p. 100-101.

(3) E. l. p. 102-104.

(4) Sprengels Gesch. p. Arzneik. 2 Th. p. 490.

adauctam saeculi XV finem versus syphilidem manifestissima sese praebuissent foedae huius luis publicis balneis propagatae exempla, medicis severe suadentibus, in pluribus terris penitus relicta atque abolita essent (1). Tunc vero balnea publica minus necessaria fuerunt, quia, uti mox videbimus, lepra, cuius cohibendae pellendaeque gratia recepta fuere, ea aetate multo rarior occucurrit. — Contagiosa morbi natura bene intellecta, propria domicilia, leprosis hominibus excipiendis dicata, multis in terris iam mature fuerunt eum in finem instituta, ut non solum aegroti, auspiciis praesertim equestris ordinis a *Sancto Lazaro* denominati, tutum refugium necessariamque curam et opem accipere, verum et sani a foeda contagione liberari possent. Horum nosocomiorum, quae, plerumque extra urbes sita, ob lacuum fluviorumque vicinitatem (2) aegrotis facilem praebuere corporis lavandi copiam, si Raymondo (3) atque Mathaeo Paris (4) confidamur,

---

(1) Wichelhausen über die Bäder des Alterthums etc. p. 105, 111.

(2) Ph. G. Hensler vom abendl. Auss. u. s. v. p. 221.

(3) Histoire de l'éléphantiasis etc. Laus. 1767. p. 106.

(4) « Habent insuper templarii in Christianitate novem millia maneriorum, hospitalarii vero novendecim. ». V. Mathaei Paris, monachi Albanens. Angli, histor. maj. Edit. Will. Watts. Lond. 1641. fol. p. 615.

iam medio saeculo XIII in sola Gallia duo millia, universo autem in Christianorum coetu novendecim millia numerabantur; et quanquam vix omnia fuerint leprosis hominibus dicata vel in singulum quodque vix soli leprosi admissi, immensa tamen eorum frequentia strenuam, quam in inficientibus morbis avertendis pellendisque id aevum posuerit, diligentiam satis luculenter probat. — Multum etiam contagium eo inhibitum est, quod, si quis esset lepra inquinatus, et iureiurando adstrictus (1) et superstitiosa illa opinione, leprosum hominem prae coeteris Deo placere et lepram esse salutis viam (2), captus morbum non celavit; verum ipse afflictam suam conditionem confessus, sanorum societate relicta, in « leproseria » sese contulit. — Finitis sacris bellis, Europa, per plura saecula tantopere turbata, quietiorem accipere faciem pacisque bonis frui coepit. — E celeberrimis, quae tunc temporis *Salerni*, ad *Montem Pessulanum*, quin *Lutetiae Parisiorum Bononiaeque* floruerunt, scholis plures prodiere medici, qui, verioribus ornati notionibus, morbum non solum rectius explanare, sed meliori etiam cum successu ei adhibere

---

(1) Exam. leprosor. auct. innominati. V., excerpta Hensl. operi pl. laud. annexa, p. 64.

(2) K. Sprengels Gesch. der Arzneik. 2 Th. Halle 1800. p. 488.

medelam valuerunt. Viguere ita eadem circiter aetate, qua lepra acerrime furuerit, *Guilielmus de Saliceto*, *Gordonius*, *Lanfrancus*, *Arnaldus Villanovanus*, *Guido de Cauliaco* aliique bene multi, omnesque suis scriptis abstrusum morbum illustrare conati sunt. — Conditis praeterea, in Germania imprimis, academiis non paucis, solidum literarum, tamdiu languentium, studium, popularis humanitas eorumque, quae unusquisque homo sibi aliisque debeat, melior increbuit institutio. — Omnibus vero hisce partim a natura, partim a summis rerum gubernatoribus feliciter institutis lepram saeculi XV finem versus in Europa insigniter decrevisse, historia satis superque docet; hoc autem loco prolixius exponere, quomodo tunc de ea querimonias mitigent Germanici, Gallici Italicique auctores, superfluum foret; nam hac de re Hensler et Sprengel, viri doctissimi, multi sunt atque copiosi (1). Nobis igitur, horum ipsorum testimonio (2) fretis, attulisse sufficiat, leprae formam, quam horridiorem ea aetas censuerit, nodosam puto, prius evanuisse, quam squamosam; neque *Benivienii* et *Fracastorii* tempore medicis amplius cognitam fuisse videri.

---

(1) Ph. G. Hensler v. abendl. Auss. p. 226–232. K. Sprengels Gesch. d. Arzneik. 3ter Th. Halle 1801. p. 76 et sequ.
(2) Loc. nup. cit.

Etiamsi adhuc quidem diu lepram squamosam auctores commemorare perseverarunt, tamen, quum non tantopere conquesti fuerint, quantopere qui antecessissent, nosocomiaque insuper leprosorum paulatim redacta aliique destinata usui (1), vix perperam statuimus, dirae labis violentiam subinde mitigatam summamque demum frequentiam adeo diminutam fuisse, ut, quae olim plurimas Europae terras gravissime vexaverit, pestis hodierno tempore, testantibus summae auctoritatis viris (2), in plurimis penitus evanuerit et aliquando sporadice oborta a medicis paene ignoretur, easque adhuc regiones tenere observetur, quarum incolae aëre minus salutari fruantur ad vitamque sustentandam molesta negotia exerceant in genereque vivendi ratione sanitati contraria utantur.

Verum haec, quae de lepra in Europa exstincta hactenus attulimus, de *Gallia* praesertim, *Germania* reliquisque terris meridionalibus

---

(1) Hensler p. 232-3, Sprengel p. 77-78. in operibus nup. laudatis.

(2) Hensler et Sprengel in locis nuperrime pluries allatis. Nec non Heckers Kunst die Krkhtn. d. Menschh. zu heilen. Erfurt 1814, II Th. p. 511 (§. 720), et Gesch. einer sehr hartnäck. Hautkrkht. v. Fr. Jahn, Hofmed. zu Meiningen, in Hufl. Journ. d. praktisch. Heilk. 14 Bd. (Neues Journ. 7. Bd.). Berlin 1802. 1. St. p. 23-43.

valent. Jam ad eas borealis Europae terras regionesque nos convertamus, quae tristissimae luis, olim tanto furore grassatae, felicissima nunc liberatione et vacuitate gaudent. Et dignae sane videntur, ut, quae ad hanc pestilentiam pellendam expertae fuerint, speciatim pertractemus. Nam quum inter harum orbis plagarum nostraeque peninsulae coeli aërisque rationem, incolarum victum, mores coeterasque fere omnes consuetudines priscis temporibus sine dubio major fuerit similitudo, vel, quum omnia fere haecce, illis in felicioribus regionibus multum emendata, apud nos aut prorsus immutata aut parum modo mutata adhuc persistant, tanto confidentius sperare licet, iisdem remediis posse Scandinaviam ab eadem foeda lue liberari. Atque si inter remedia, hac in septentrionali Europa adhibita, et ea, quae in meridionali optimo cum fructu tentata fuisse audivimus, summam nobis contigerit convenientiam probare, laeta haec nostra spes ad certitudinem adhuc propius accedit.

Sic ad *Daniam* devolvimur. — Aquae salutaris vis et prisci Dani quantam fiduciam habuerint, magna sacrorum fontium, summa cum veneratione cultorum, frequentia satis docet. Vel levissimam quamque aegritudinem percipiens eos adiit, et, prouti rerum ratio tulerit, medicantem aquam vel intus assumsit,

vel externo corpori admovit (1). Ita sine dubio vera sunt balnea exorta, quae postea, quum horrida lepra latius serpserat, magis necessaria visa fuere, tantaque demum multitudine increverunt, ut quaeque fere urbs unum saltem publicum balneum, quin totos vicos nonnullae haberent, qui a talibus aedificiis balneariis nomen *Badstuestraede* vel *Badstuegade* acciperent adhucque gerant (2). Postea vero, quum ineunte saeculo XVI venerea lues in Dania latius emanare coepisset et publicis balneis propagari crederetur, severe sunt prohibita penitusque abrogata (3); sed eodem fere tempore lepram ibi multum raruisse, balneaque ideo publica minus necessaria fuisse, mox sumus demonstraturi. — Nosocomia, *Sancti Georgii domus* appellata, jam saeculo XIII ipsa in Dania commemorata invenimus (4), quae, testantibus

(1) Gust. L. Badens histor. Unders. om Laegevidenskabens Forfatning i Oldt. og Middelal. hos de Nordiske, isaer Danske. Kbhvn. 1801. p. 66-68.

(2) Gust. L. Baden in libro allato, pag. 69. Nec non: Ripae cimbricae s. urbis Ripensis, in Cimbria sitae, descriptio. Auct. Petro Terpager. Flensb. 1736. 4to. p. 545-47.

(3) Baden et Terpager in locis allatis,

(4) Origines Hafnienses ell. Kbhvn. fremstillet i sin oprindel. Tilsd. ved E. Pontoppidan. Kbhvn. 1760. 4. p. 165.—Chorographisk og oeconomisk Beskr. over Randers etc. af Snaebjörn Asgeyrsen Stadfelt. Kbhvn. 1804. p. 266. — Langebekii Script. Rer. Danic. Tom. IV. Hafn. 1776. pp. 346 et 389. Quibus in locis de leprosis nosocomiis *Hafniensibus*, *Randersiensi* et *Neustvediensi* mentio est.

Pontoppidan (1) et Stadfeldt (2), ubique extra urbes et interdum mari lacuive vicina jacebant; et, uti e Cristophori Bavari (3) Paulique Heliae (4) verbis patet, omnes erant leprosi ea adire coacti. — Quamvis a fundata ad reformatam usque universitatem Hafniensem (1478-1536) duo solum in ea commemorentur medicinae professores, Alex. sc. Kinhorn et Christiernus Thorkilli Morsianus, ideoque e medicis praelectionibus nondum possent salubres observari fructus, tamen ex ejus aevi

---

(1) Lib. allat. p. 164, ubi e *S. Georgii* domibus, quarum olim Hafniae plures fuerunt, unam fuisse extra urbem inter septentrionalem occidentalemque portam sitam et lacui qui hodiedum « Sanct Jörgens Sör » salutatur, nomen dedisse perhibet.

(2) L. c. p. 266.

(3) Christoph. af. Bayerns Stadsret for Kjöhstaederne i Danmark og Norge. 59de Cap. V. Gl. kgl. Forordn. og Privil., udg. f. Kgrgt. Norge. Kbhvn. 1751. p. 253. Cfr. Pontopp. Origg. Haff. p. 108.

(4) « Fordi wore hospital saa skikkede vdi gammil tidt, at ther ingen lagdis vdi, vdhen han hafde hospitals siwge, thet er den spidalske sooth. —— Spidalske mennisker haffue theris hospital her vdhen for byen aff gammil skicke, at saadanne mennisker skulde icke vaere i by effter then gammil low mit thenom, som ere karske ». V. P. F. Suhms Saml. til den Danske Historie. 1ste Binds 2det Hefte, Kbhvn. 1780. 4. p. 129-131, ubi nonnulla inveniuntur eorum, quae e Pauli Heliae libro « Huore krancke, mislige, saare etc. mennisker skulle tracteris etc. Kbhvn. 1528. 4. » inscripto Peter Syv excerpsit.

historia patere doctissimus BADEN testatur (1), monachos satis mature miserorum curam habuisse, herbarum et, qua polleant, medicae utilitatis sibi notitiam comparasse, atque Hippocratem, Galenum aliosque artis medicae scriptores interpretationibus sibi familiares reddidisse (2). Medicina itaque, etiamsi ea quidem aetate in Dania nondum scientiae nomine insigniri potuit, melius tamen excoli coepit, et foeminis, quibus, teste eodem BADEN (3) usque ad acceptam fidem Christianam unicis artem exercendi potestas fuit, ob penitius studium monachi in medela afferenda multo feliciores fuisse videntur. — Pisces, litoribus Danicis relictis, alias legisse sedes, TH. BARTHOLINUS queritur (4); id quod sine dubio non minus, quam crebrae urbium foederatarum in Daniae oras maritimas incursiones, praecipue effecit, ut,

---

(1) Libro saepius cit p. 47-48.

(2) Ita jam saeculo XIII HENRICUS HARPESTRENG, quem canonicum Roeskildensem fuisse perhibent, medicam commentationem scripsit, cujus in particula priori leges nonnullae diaeteticae inveniuntur, posterior vero major, perpaucis exceptis, interpretatio esse videtur ÆMILII MACRI poëmatis de herbarum virtutibus. V. Nye Danske Magaz. 1 Bd. Kbhvn. 1794 pp. 57 et 109.

(3) Lib. cit. p. 48.

(4) De medic. Danor. domest. p. 285. Diss. VI. de victu Danor. domest.

quae, teste eodem viro, de alecibus suis quondam universae fere Europae prospicere potuisset, terra alia quaestus parandi negotia subinde experiri cogeretur. Ita forsitan ab eo inde tempore, quo piscatura, sive ob piscium raritatem, sive ob mare hostium navibus infestatum, Danis minus prospere succederet, agrorum cultura, antea multum neglecta, in Dania sensim attolli severeque evalescere coepit. — Omnia vero haecce non potuere, quin lepram non inhiberent solum, verum etiam prorsus fere abolerent. Atque ex *articulis Ripensibus* videre licet (1), mox post sacra reformata morbi frequentiam in Dania adeo diminutam fuisse, ut omnes S. Georgii domus aliaque minora nosocomia leprosis hominibus excipiendis haud amplius necessaria viderentur eorumque reditus ptochotrophiis postea tribuerentur. Neque praeterea Bartsker in suo medico libro (2), neque Th. Bartholinus in tota illa dissertatione, ubi de morborum Daniae popularium

---

(1) Christian d. 3*dies* Reces eller saa kaldte 26 Religionsartikler, udg. i Ribe 1542. Art. 18-19. V. Hofmanns Saml. af. Stiftls., Fund. og Gavebreve udi Danmark og Norge. II Tom. Kbhvn. 1756. 4. p. 100.

(2) En liden Bog om allehaande Siugdom, som Mennisker mangfoldeligen kand vederfaris etc. af Hansz Christenszen Bartsker. Schleszvig MDXCVI. 4.

remediis inquilinis agit (1), ullam facit leprae, aut squamosae, aut nodosae, mentionem. Atque nostris temporibus iis solum in Daniae regionibus lepra grassatur, quae aëre minus salubri fruuntur vivendique genere sanitati nocivo utuntur. En causam, cur *Ditmarsienses* (2), *Morsianos Thyensesque* (3) adhuc vexet.

Neque *insulani Faeroeenses*, quos Debesii tempore fuisse leproso morbo graviter afflictos supra (4) monuimus, popularem calamitatem lenti adspexerunt. Namque iam saeculo XVI, forsan antea, obtinuere, ut prope urbem *Thorshavn* pauperibus leprosis nosocomium exstrueretur, quod, principio satis amplum, ob latius dein serpentem morbum postea dilatatum fuit (5). Piscationem per ultimos 50 annos non tam felicem fuisse, quam antea,

(1) Medic. Danor. domest. diss. IV. p. 97-177.

(2) V. celeberrimi Brandisii saepius citatam commentationem «Om den Ditmarsiske Syge». In Bibl. f. Laeger. 4 Bd. Kbhvn. 1813. p. 1-26.

(3) Hac de re tam experientiss. Randrup in dissertatione supra laudata, quam annuae medicorum, in insula Mors peninsulaque Thye degentium, ad Reg. Sanit. Coll. Hafn. missae renuntiationes, quarum utendarum benigna mihi copia fuit, nec non effata virorum, istarum regionum peritorum, quibuscum ea super materie mihi sermo fuit, consentiunt.

(4) P. 56 et 72-73.

(5) Faeroae et Faeroa reserata etc. af Luc. Jac. Debes. Kbhvn. 1673. p. 283-284. Cfr. Forsög til en Beskr. over Faeröerne af J. Landt. Kbhvn. 1800. p. 455-6.

jam DEBES (1) testatur et LANDT (2), qui 127 annis post scripsit, confirmat; quare illius etiam viri tempore insularum Faeroeensium incolae alia minus molesta negotia exercere, v. c. rei pecuariae, praesertim ovariae, operam navare rudemque lanam in varia corporis tegumenta, tibialia imprimis, artificia manu elaborare ad exterosque devehere inceperunt. Verum mutata haec vivendi ratio providaque leprosis hominibus in seposito loco medendi cura morbi extinctionem effecisse videntur. LANDTIO etenim per septennium (1791-1798), quo in hisce insulis sanctissimo sacerdotio praefuerat, duo solummodo aegroti occurrerunt, qui lepra afflicti iudicarentur (3). Quam ob morbi raritatem quum per plures annos nosocomium aegrotis vacasset, in alium usum commutatum fuit atque inititutum (4).

Verum insulae Faeroeenses non solae sunt terrae nostrae boreales partes, quas eadem haec methodus, cujus utilitatem tot gentium nationumque historia confirmat, a foeda labe intactas atque inviolatas servat; nonnullae etenim tam magni imperii Russici, quam ipsius

(1) L. c. p. 279.
(2) L. c. p. 385.
(3) L. c. p. 455.
(4) E. l.

etiam nostrae peninsulae provinciae ab eadem sunt paene immunes. Cujus rei causam atque rationem exponere neque inutile neque ineptum munus videtur, utpote quo perfecto remediorumque hic adhibitorum cum illis, quae a coeteris terris tanto cum successu in usum vocata fuisse audivimus, demonstrata similitudine, certior adhuc et verior nobis spes affulgebit, laetiora demum ventura esse tempora, quibus tristissima lue Scandinavia haud amplius prematur. — Variae, quas sedulo percurri, de *boreali Russia* vicinaque *Fennonia*, eadem sub latitudine sitis eademque utentibus coeli temperie, qua Norvegia et Svecia, peregrinatorum descriptiones leprosum morbum aut pleno silentio praetereunt, aut alicubi sporadice obortum modo leviter tangunt; verum nonne religiosus mos singulo saltem per septimanam die tepidum balneum intrandi summamque coeterum vestium adhibendi munditiem (1), nec non florentissima, in ducatu praesertim (2), agrorum cultura, atque in illa

---

(1) P. v. Havens Efterretninger om det Russiske Rige etc. Kbhvn. 1747. 8. p. 509-510. Conf. J. Meermans Reisen durch den Norden u. Nordosten v. Europa in M. C. Sprengels Bibl. d. Reisebeschreib., fortges. v. T. C. Ehrmann. 42 Bd. Weimar 1810. p. 165; et Neuste Länder-u. Völkerkunde. 4 B. Weimar 1807. p. 433.

(2) Neueste Länder-u. Völkerk. 4 Bd. p. 561.

nulla saltem cerealium penuria efficiunt, ut harum regionum incolae foeditate vacent? — Annuas medicorum Norvegiacorum ad summum imperium missas renuntiationes, quarum utendarum benignissima mihi copia fuit, pervolventi mihi nulla ab experientissimis medicis, quibus provinciae *Toten* et *Hedemarken* concreditae sunt, leprae occurrit mentio. Unde concludere licet, eam, si ibidem exsistat, esse admodum raram; id quod felicissimae frugum fructuumque ubertati et rusticorum paene omnium opulentiae haud immerito adscribendum videtur. — Ad *Scaniam* demum nostram, quam lepra olim graviter vexatam fuisse vetusta monumenta docent (1), si animum convertamus, idem comprobatum videmus. Sed piscationem ibi tunc non minus frequentem fuisse, quam

(1) In *necrologio Lundensi* GODUUINI mentio est, qui anno MCXXIV leprosus obiit (Script. Rer. Danic. med. aevi ed. JAC. LANGEBEK. T. III. Hafn. 1774. p. 459); LIBER DATICUS LUNDENSIS ERLANDUM commemorat, ecclesiae Lundensis archietectum, qui moribundus anno MCCLXXVI leprosorum nosodochio testamento consuluit (Scr. R. D. III. p. 541), nec non MARGARETAM, STRANGES filiam, quae infirmis leprosis «in domo S. Georgii prope Lundis degentibus» anno MCCCL summam legavit anniversariam (Scr. R. D. III. p. 499). Doctiss. itaque BRING, qui antiquitates Scanenses singulari studio dignatus est, leprosorum in veteribus monumentis non raram recurrere mentionem vere dicit. (Monum. Scanens. Auct. SVENONE BRING. Lond. Goth. 4. Vol. II. p. 248. v. notul. subnex.).

in vicina *Sjaelandia* caeteraque *Dania*, et agrorum culturam ob densas sylvas neglectam summo jure suspicamur. Pisces eodem tempore Scaniae Daniaeque litora reliquisse eamque ob causam incolas ad aliam vitae sustentandae rationem coactos fuisse, haud temere censemus; nosocomia, leprosis hominibus dicata, mature exstructa institutaque fuisse, ex antiquis testamentis patet; et monachos aegrorum, tam in nosocomiis, quam extra ea degentium, curam habuisse, satis probabile est. Atque hodierno tempore Scaniam esse Sveciae horreum merito judicandam, omnium ejus provinciarum villis et praediis ditissimam neque incolarum opibus facile ulli cedere, aquas eidem esse saluberrimas, aestivo praesertim tempore frequentatas, nec non urbes publicis balneis gaudere, omnes scimus. Hisce vero ab ipsa natura summisque rerum gubernatoribus bene prospereque institutis, non miramur, hanc peninsulae nostrae partem esse dudum a foedo morbo penitus liberatam. Quapropter in actis societatis medicorum Svecanae nullum invenies leprae relatum a medico Scanensi exhibitum. Atque ipse, praegressa aestate Scaniam visitans, a medicis audivi, lepram esse ibi paene incognitam, et, qui eadem vexati ipsis forte occurrissent, eos pauperes fuisse, aliis in Sveciae regionibus, morbo gignendo alendoque faventibus,

vel educatos vel saltem per multos annos commoratos. Faeminam, exanthemate leprae squamosae simili afflictam, quam in nosocomio Lundensi mihi contigit videre, utut raram avem intuebantur; verum nec SOENNERBERG, experientissimus instituti clinici Lundensis director, cujus erat curae mandata, neque alius ullus eam vere leprosam declarare audebat.

Vix opus est, ut in historica hac disquisitione diutius acquiescamus; nam ex iis, quae hactenus sunt disceptata, satis elucet, lepram iisdem remediis vel retardatam, vel cohibitam, vel prorsus fugatam fuisse. Videmus in terris, quas foeda labes olim graviter vexaverit, vel in quibus lentos progressus fecerit, balneis frequenter institutis sollicitius fuisse cutis munditiei provisum; refugia liberali manu eum in finem exstructa, ut, peritis viris ministrantibus, leprosi homines possent necessariam curam et opem habere; restauratis literis spissam nebulam subinde dispulsam fuisse humanitatemque in dies latius sparsam, pluresque medicos prodiisse, qui, melius instituti, lepram, sicuti alios morbos, non solum verius illustrare, sed etiam tutius sanare scirent, salubrem demum et aliquando mutatam vivendi rationem. Quae vero omnia in peninsula nostra longe aliter. Magna etenim est medicorum penuria, exstructa

quidem sunt aliquot in locis leprosorum nosocomia; verum neque omnibus excipiendis aegrotis sufficiunt, neque satis apte sunt instituta. Accedunt insuper summus egenae plebis squalor sordesque, nec non prava et saluti neutiquam consentanea victus ratio. Quibus vitiis erroribusque si fortiter seduloque obsistamus, e Norvegia Sveciaque etiam lepram aliquando expulsum iri, merito sperare nobis videmur.

Ubicunque malo cuidam occurrendum est, cum praesens levare, tum sublati reditum praevertere interesse debet. Si itaque lepra Scandinavica cohibenda est prorsusque exstinguenda, tam iis, qui eam jam patiuntur, quam iis, qui integra adhuc santitate gaudere videntur, prospiciendum est. Quae vero utraque cura, quum iisdem remediis perficiatur, specialem pertractationem non requirit; verum quum aegrorum semper proxima esse ratio debeat, quid circa eos agamus, primum videamus.

In Norvegia Sveciaque magnam esse medicorum paucitatem, nemo est, qui neget. Illam vero iis praesertim carere, recensus, priori anno a summo imperio editus (1), satis

(1) Fortegnelse over de autoriserede Læger i Norge, samt de i Embede ansatte uexaminerede Bataillonschirurger. Christ. 1816. 8.

docet; centum etenim viros qui ibi medicinae faciendae licentia gaudeant, in terra, quae, incolarum nongentis circiter millibus frequentata, milliarium quadratorum quinque paene millia septingenta emetitur, non posse omnibus aegrotis diligenter accurateque consulere, quid? quod, in provinciis latioris ambitus singulo cuique ne innotescere quidem, per se patet. Plures igitur beneque eruditi medici instituantur, et tot, ut provincias commode administrare possint; tanta vero eorum merces esse debet, ut, unde vivant, non desiderent; nam, nisi larga mercede publica allicitus, provincias egenas nullaque hominum frequentia gaudentes, ubi privata praxis flocci fere aestimanda est, nullus bonus medicus adibit. Multum proficiet medicus, si in provincia explorationes identidem instituat. Quem ita foeda labe inquinatum detegerit, eum humano affabilique sermone, qui apud rudes homines plurimum valet, ad medicamina sumenda justamque servandam diaetam cohortari, praescriptamque curam ad plenam usque sanationem perseveret, severe monere debet. Qui vero plebem, ruralem praesertim incultam, cognoscit, arduum esse medici provincialis munus sane concedit. Satis inveterata etenim eam tenet adversus medicamina opinio, quae efficit, ut ab aegerrime sumtis maturius justo desistat.

Quo felicius itaque res possit medico succedere, contumaces medelamque recusantes ad obsequium cogendi potestate donatus in provincia quasi disciplinae publicae magistri munus exsequatur. Verum enim vero domestica haec cura modo, si lepra, levis adhuc, superiores nondum sit gradus assecuta, aliquid conferre videtur; nam ubi adoleverit eadem, diuturniorem medicaminum usum sollicitioremque omnium nocentium evitationem exigit, quam quae ab hominibus indigis pravaque opinione captis possint juste assidueque continuari. Quum praeterea morbus contagiosus sit, et, prouti ipse aggravescat, ita contagiosam vim increscere, veri admodum simile videatur, aegrotus, praesertim ubi inveteraverit malum, alios multos, quorum quotidiana consuetudine utatur, inquinet, necesse est. Ad haec vero pericula avertenda nosocomia egregie conducunt; quibus nimirum efficitur, ut aegroti, ab hominum frequentia seclusi, non solum non morbum latius propagent, verum etiam, virorum peritorum auspiciis, necessariam possint curam medelamque accipere. Nosocomia vero, si debitam utilitatem afferant, plura exstrui debent, tot adeoque ampla, ut omnes leprosi in ea admitti possint, et tam bene instituta, ut ab ipsis aegrotis non ut pestis domus carceresque judicentur, verum ut benefica

refugia, unde, nefando malo devicto, sani iterum suis tradantur. Imprimis vero urbes, ubi studiosa medicinae juventus sese ad munera obeunda praeparat, uti *Christiania*, *Upsalia*, *Holmia*, talibus nosocomiis instructae esse debent; ut nimirum juvenes medici, comparata jam, antequam ipsi artem exercere inceperint, sub optimis magistris morbi notitia, tanto feliciores possint ei medelam adhibere. Ob innatum medicaminum fastidium plebs ea sumere desinit, quamprimum extus nil conspicere possit seseve paullo levatam putet; verum in lepra nostra Scandinavica medicaminum usus longe post continuandus est, quam externa symptomata evanuerint, nam hic morbus, sicuti diu in toto organismo delitescit, antequam externum corpus defoedaverit, ita etiam hoc multo prius relinquere videtur, quam omnia sunt ejus seminia penitus exstincta. In nosocomiis vero medicus non solum melius potest medendi methodum singulo aegroto aptare, verum etiam prospicere, ut remedia rite ministrentur tamque diu continuentur, quamdiu ipse necesse judicaverit. Ipsique demum arti e nosocomiis magna haec redundat utilitas, quod medicus, plures eodem malo, sed non semper eadem varietate, affectos quotidie intuens, diversarum morbi varietatum magis perspicuam notionem in animo imprimere, constantiaque signa facilius detegere potest.

Verum enim vero acutos atque expertos medicos instituisse commodaque nosocomia exstruxisse ad lepram e Norvegia et Svecia fugandam vix satis est; nam quid impedit, quo minus aegroti, recuperata demum sanitate, domum reversi suetam iterum vivendi rationem aggrediantur, denuoque semetipsos et alios, quibuscum quotidie versentur, foeditate inquinent? Recrudescente nefanda labe, aegroti rursus, in nosocomia deferuntur, quae, quum morbi causae nondum cessaverint, nunquam desinent esse leprosis impleta, verum ob paullatim adauctam morbi frequentiam tandem omnibus excipiendis haud amplius sufficient. Quod si demum evenerit, medicus multos extra nosocomia visitare cogitur; quum vero tales homines ob innatam aversionem medicaminibus minus juste utantur et ob inopiam non possint ad praescriptam diaetam vivere, omnis fere medici labor aegrotosque domi administrandi diligentia saepissime fructu carebit. Si itaque ad lepram pellendam medici et nosocomia quid proficiant, causas ejus plane tolli vel mitiores saltem reddi, res maximi est momenti. Quum vero ab antiquis moribus consuetudinibusque et laboriosis quotidiani victus quaerendi negotiis morbus proficiscatur, apud plebem rudem, quae, morum a patribus acceptorum tenacissima, novis aegerrime adsuescit; ne

dicam, eas experiri constanter recusat, omnia ista mutare, difficillimus sane maximeque arduus labor erit. Postulet forsitan a me quispiam, ut viam atque rationem, qua omnes illi errores, qui vel in modo, quo quaestus agantur, vel in alimentis, vel in cutis munditie committantur, ita sint corrigendi, ut sanitati minus noceant, uberius explicem; ita vero per partes ire longe extra opusculi fines jacet. Quapropter pauca, quae hac de re dicenda habeam, hisce fere continentur. Ad molesta plebis negotia pravamque victus rationem ita mutanda, ut minus nociva reddantur, a *Regia Societate pro Norvegiae Salute* multa bene instituenda sperare debemus; atque a doctissimo nostrate, celeberrima tam apud nos, quam apud exteros fama florenti, qui omnes fere Norvegiae portus et piscatorum cubilia visitavit et de remediis, quibus piscatoria res emendari possit, multum est meditatus, de aptiori salutique minus nocivo piscium captandorum modo egregia consilia exspectare possumus, si, quae e ditissima experientia vir modestissimus didicit, luci committeret. Ad morbum vero tollendum ipsa etiam natura sponte nonnihil conferre videtur; nam, sylvis subinde decrescentibus, agrorum culturam demum florescere multosque a molesta piscatione aliisque, qualia nunc perficiantur, sanitati perniciosis

negotiis revocare, nec non vegetabilium ciborum usum frequentiorem reddere, admodum probabile est. Ad sanitatem demum tuendam chronicosque praesertim cutaneos morbos profligandos quam necessaria sit munditiei cura, nostra sane expositione haud eget; nam haec res a tot viris iam adeo bene disquisita est, ut, quid addatur, non facile sit perspicere. Id tantum monitum velimus, nobis omnino persuasum esse, crebram vestimentorum corporisque ipsius lavationem omnibus aliis sanandae et avertendae leprae remediis palmam praeripere. Valde itaque optandum est, ut non solum in unoquoque nosocomio balnea exstruantur, verum etiam ut egregie ille mos, quo maiores nostri, veteres septentrionis incolae, usi fuere (1)

---

(1) Norvegiae fluvios, qui vel hodierno tempore *Laugen* et *Loven* salutantur, Sveciaeque lacum, quem olim *Laugur* s. *Loger* vocarunt (hodie *Mälanr*, qui Holmiam alluit), inde nomina sortita fuisse, quod in iis praesertim Scandinaviae veteres incolae sese lavarent, probabile videtur; sicuti credibile est, Saturni diem apud nos inde *Löverdvg*, *Löverdag* appellatum fuisse, quod is esset, quo talem lotionem instituere consueverint. Testante etenim doctissimo Ihre, in antiqua lingua Svethica *log* lacum indeque formatum verbum *löga* profluenti unda vel mari sese proluere significavit. (Gloss. Sviogoth. Auct. Jo. Ihre. Upsal. MDCCLXIX. voc. *lag*.).

et quem vel hodierno tempore *Russi* (1) Turcaeque (2) religiosissime colunt, singulo per hebdomadam die balneum intrandi apud nos iterum recipiatur. Norvegiae sane dedecori est, ne unicum quidem ibi esse institutum publicum balneum, tanto autem maiori, quod tam extensis oris maritimis gaudet, neque ulli terrae, ubi thermarum et aliorum balneorum frequentissimus est numerus, fluviorum, rivorum, lacuumque dulcium nec non mineralium fontium abundantia facile cedit.

Restat vero adhuc unum auxilium respicere, quod in usum vocatum non potest, quin ad lepram nostram borealem fugandam multum conducat, sicuti aliis etiam bene multis rationibus benigno effectu non carebit Plebem Norvegiacam Svecicamque esse valde ineruditam et officiorum, quae e cognitione ducantur,

(1) P. v. Havens Efterretninger om det Russiske Rige etc. Kbhvn. 1747. 8. p. 509-510. Conf. J. Meermans Reisen durch den Norden u. Nordosten v. Europa in M. C. Sprengels Bibl. der Reisebeschreib., fortgs. v. T. C. Ehrmann. 42 Bd. Weimar 1810. p. 165.

(2) G. A. Oliviers Reise durch das Türkische Reich, Ægypten u. Persien von 1792-1798. in Sprengels Bibl. d. Reisebeschreib. 6 Bd. Weimar. p. 147-148; et W. Wittmans Reisen nach d. Turkei, Klein Asien, Syrien u. Ægypten in den Jahr. 1799, 1800, 1801 v. Sprengels Bibl. d. Reisebesch. 16 Bd. Weimar 1805. p. 38-39.

fere prorsus ignaram, tam sacerdotes, iuventutem catechizantes vel ad christianam religionem publice iurandam praeparantes, quam omnes, quibus cum illa, praesertim rurali, res est, conqueruntur; id quod, consideratis iis, quae ad edocendam eam excolendamque agantur, nemo miratur. Urbibus etenim exceptis, paucissimae inveniuntur populares scholae, ubi vir minus opulentus pueros rebus maxime necessariis imbuere curare possit. Magnus vero est in utraque terra magistrorum, quos ambulantes dicunt, numerus, qui ab una ad alteram dioecesin migrant, solaque esca contenti egenis pueris tradunt, quae ipsi parce sciant; tales vero magistros, quum rarissime sint parentibus, quorum liberos instituant, prudentiores pravamque vel potius forsitan nullam methodum sequantur, haud multum esse profecturos, per se patet. Maxime itaque interest, ut viri, qui ad plebeiam iuventutem informandam sese accingant, de iis rebus, quas aliis tradituri sint, edoceantur; instituta vero, ubi hoc fieri potest, Norvegia plane atque omnino desiderat. Valde ideoque optanda lex esset, quae *Seminariorum*, qualium *Toensbergiae* olim unum floruit, restaurationem iuberet, ubi futuri plebis praeceptores sese melius praeparare et unde post probatam habilitatem ad gravissimum munus conficiendum abire possint. Sed

aperiantur quoque populares scholae, in quibus egeni pueri, hisce magistris utentes, de iis gratuito erudiri possint, quae ad beate recteque vivendum scitu maxime necessaria sint. Discipulorum animos bonus itaque magister imbuat, inter officia, quae sibi aliisque debeant, id, quod sanitatem tuendam iubeat, non infimum locum mereri; eos edoceat, frigoris aversionem, meliorem victum cutisque munditiem praecipua esse leprae prohibendae pellendaeque remedia; pravam tollat opinionem, morbum, sine culpa susceptum, ignominia stipatum esse, atque neglecti mali pericula demonstrans severe moneat, ut, cui contagionis suspicio exorsa fuerit, is neque eam celare, neque curationem differre debeat, verum, quo celerius tutiusque in salutem redire possit, sese statim experto medico committere omniaque ingenue aperire, et sancte demum medicamina assumere ad praescriptamque diaetam vivere. Ad has vero leges sollicite servandas sacrorum antistites, provinciarum praefecti militumque duces aliique omnes, quibus ad plebem aditus pateat vel frequens cum ea sit consuetudo, tam ipso exemplo, quam benigna adhortatione multum conducere possunt; quae ubicunque nil polleant, minari ipsamque demum vim invitis adhibere iis, permissum esse debet.

Exposui ita, ut potui, viam atque rationem,

qua sola adhibita Norvegiam Sveciamque de faustis aliquando temporibus laetaturas esse arbitror, quibus lepra non frequentior in iis occurrat, quam aliis in terrae plagis, quae, olim gravissime vexatae, e sapientissimis et fortissimis ejus cohibendae fugandaeque praesidiis saluberrimos fructus diu perceperunt. Quibus vero auxiliis sit vivendi genus mutandum, quot et quibus in provinciis instaurandi medici, quot et ubinam nosocomia extruenda, quomodo haec balneaque publica componenda, quo scholastica res emendanda, quales demum leges politiae medicae dandae, omnia haecce speciatim pertractare neutiquam meum fuit. E terrarum etenim historia quum viam tandem et rationem demonstrare mihi contigisset, cuius ope Scandinavia possit dira labe liberari stabilemque ab ea vacuitatem sperare, propositum me susceptumque munus confecisse putavi.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE MORBO NUNCUPATO
PELLAGRA,

QUAM

DOCTORIS MEDICI OBTENTURUS LAUREAM

IN ANTIQUISSIMA, AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE

VINDOBONENSI

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

PETRUS STOFFELLA

TIROLENSIS ROBORETANUS

MDCCCXXII.

Italiae . . . . . incolis suum et vivendi, et aegrotandi, et medendi genus est.

Pharmac. Austr. **1820.**

LECTORI.

Morbus, qui nostros latuit maiores, qui inter endemicos principem tenet locum, qui sub mitissimo adspectu apparens horribiles saepe devastationes inducit, qui pulcherrimas Italiae regiones infestat, qui non paucos eius apricorum collium camporumque fertilium depopulari minatur, qui Pathologo, Legislatori, ac Philanthropo implicitum ac summi momenti problema offert, qui Medicis tandem, et praecipue illis, quibus salus publica hisce in locis, ubi suum haec pestis exercet imperium, tradita est, obiectum meditatione dignissimum fieri meretur, Pellagra uno verbo, mei primi litterarii tentaminis haud indignum mihi est visum argumentum.

Verum, non ut mihi famam comparem, nec ut medicorum laudes promerear, nec quod plenam omnibusque numeris absolutam symptomatum descriptionem, natura, scientia, aut experientia mihi concesserint, nec quasi infallibile contra hanc terribilem luem specificum inventum somniaverim unquam, de hoc morbo disserere constitui, sed tantum legibus academicis satisfacere intentus sum. Attamen, dum ad hocce munus hisce angustis pagellis obeundum me accingo, humanitati, dulcissimaeque Patriae, quantulumcumque id fuerit, prodesse, consilium est; quod si pro votis meis evenisse, probaverint arbitri, etiam atque etiam exultabit animus.

Morbi Historia et Origo.

Nec ad rem non loqui, nec supervacaneis intentus esse mihi videor, si more jam recepto, antequam morbi, de quo hîc sermonem faciendum suscepi, ipsam descriptionem aggrediar, pauca ejus originem, antiquitatem, patriamque spectantia, praemisero. Quem igitur in hisce angustis pagellis pertractabo, morbus, ab initio sub lenitatis specie apparens, deinde valde insidiosus, effectibus suis horribilis, quaecunque Medicorum conamina eludens, paucis quidem modificationibus notatus, sed diversis temporibus, variis in locis immanitate varia, et quamvis non nobilissimae civium classi, certe utilissimae, maximeque necessariae, nempe agricolarum, caedem excidiumque attulit. Ad ejus itaque antiquitatem respicere, comparationemque diversarum denominationum, quibus a

diversis auctoribus depingebatur, instituere si velimus, tunc facile compertum habebimus, morbum, de quo hîc sermo est, primum in Asturia, et praecipue in ditionibus Oveti, sub nomine, *mal della rosa*, et ad mentem Sauvagesii *Leprae Asturiensis* nomine, exortum fuisse. Nec precaria est assertio: nam si nostram Pellagram cum Lepra Asturiensi comparare velimus, primo jam intuitu, quamquam aliquae symptomatum accidentalium observentur differentiae, uti sunt capitis, artuumque tremores, caloris impatientia, lingua sordida, tumores scrophulosi, et alia, quae nostris in pellagrosis raro observantur, et quae magis loci constitutioni, vivendi rationi, peculiaribusque circumstantiis tribuenda sunt, propter symptomatum essentialium inter se convenientiam, pro uno eodemque morbo utrumque declarare, nemo haerebit.

Primus, qui de hoc morbo mentionem facit, Auctor Thiery est (1), qui anno 1755 hujus aegrotandi rationis tradidit descriptionem, simulque, ex collectis grandiorum aetate Asturiensium traditionibus, morbum ante aliquot abhinc lustra illos miseros opprimere incepisse, asserit.

(1) Vandermonde Journal de Médicine, chirurgie, et pharmacie 1755.

Illo autem tempore, nec Bellumni, nec in Foro Julii, nec in Insubria, quibus in locis nunc tam insidiosa grassatur haec pestis, ulla ejusdem fuerunt vestigia. Sed non multum ab hinc nostri quoque agricolae invasi fuisse videntur; quoniam Celeberr. ODOARDI primus qui hunc morbum in Foro Julio, sub nomine *Scorbuti Alpini* anno 1776 egregie delineavit; asserit, eumdem suo jam praedilecto Praeceptori JOSEPHO ANTONIO PUJATI, et adhuc paullo antea Doctori NASCIMBERI notum fuisse, quorum prior, nisi circumstantiae eum praepedissent, huncce morbum descripsisset; ex quibus ergo patet, etiam hac in regione, morbum non nullis saltem annis ante Odoardi descriptionem caput extulisse.

Eodem vero tempore, quo Odoardi sui Scorbuti Alpini descriptioni Feltriae operam dabat, jam in Insubria quoque Pellagra saevire incepit, et celeb. Franciscus FRAPOLLI, Medicus Nosocomii majoris Mediolanensis anno 1771 ac ZANETTI paullo post, hunc morbum observatum, curare tentarunt, ac tandem descripserunt. Ast horribilis ille morbus hîc non quievit, sed ulterius proserpens territorium Paduanum invasit, ubi doctiss, ac celeb. Professor Franciscus Lud. FANZAGO primus fuit, qui illum observaret, suasve observationes, anno jam 1789 publici juris faceret. Ab hoc tempore,

indies latius strages suas proferens, regiones etiam adjacentes, uti Veronensem, Vicentinam, Tirolem meridionalem etc. infestavit. Ex quibus omnibus elucet, eum tam in Insubria quam in Foro Julii eodem fere tempore comparuisse, ast Insubrianos agrestes minus graviter afflixisse, quam incolas Fori Julii; nam Frapolli morbum sporadicum nominat, dum Odoardi illum pro morbo endemico declarat.

Frapolli Pellagram pro morbo novo declarare haud ausus fuit, quia fortuito ordinationem quamdam, die 6 Martii anni 1578 a venerando Capitulo Nosocomii majoris Mediolanensis editam offendit, quae ita sonat: *che tutti quelli, che saranno infetti di Pellarella, croste, gomme, e piaghe sieno accettati, avendo però il mandato sottoscritto, ut supra.* A denominationis ergo similitudine *Pellarellae* cum *Pellagra* incertus fiebat. Ast clariss. Astruc hoc adimit dubium affirmans, Pellarellae sub nomine tunc temporis morbum syphiliticum venisse.

Tandem si animo attendimus, uti Gherardini optime monet, nullam existere veterum auctorum hujusmodi aegrotandi rationis descriptionem, quorum solertiam ceteroquin in morbis cutaneis observandis, distinguendisque summopere admiramur; si porro, neque clarissimum Ramazzini, hoc aevo prope a Mediolano degentem, qui opificum, agricolarumque morbos,

eximia cum diligentia descripsit, de Pellagra nec verbum fecisse, perpendimus, morbum recenter natum fuisse, facile habebimus persuasum. Clariss. STRAMBIO, inter primos omni jure Pellagrae scriptores relatus, ex medicis sui aevi aetate provectioribus, atque ex aegrotis, hoc morbo laborantibus, antiquitatem maxima solertia percunctatus est, et potuit solummodo expiscari, Pellagram ante sub nomine italico *mal rosso* venisse, et tunc temporis frequentiorem, diriorem que factum, Pellagram nuncupatum fuisse.

Clariss. MOSCATI, Domino JANZEN asseverat, hunc morbum merito novum esse appellandum, eo magis, quum documenta ejus ortum comprobantia ad annum circiter 1740 solum referantur.

Hisce ergo Medicorum relatis, conjecturis, calculisque institutis innixus, a veritate abludere haud videbor, si Pellagram ab initio circiter Saeculi XVIII. exortam esse, contendam.

Quod ejus sedem, quae, ut supra jam vidimus, ab initio in Insubria, et in Foro Julio sat strictis tenebatur limitibus, nunc de die in diem latior, frequentior, diriorque proserpere coepit, ac inter misellos agricolas totius Italiae superioris, Tirolis etc. se propagavit, ita ut non nullis in locis inter centum incolas 5, et 6 hac terribili lue laborare Auctores recentiores ani-

madvertant: quare non sine aliqua probabilitate, nunc suspicio moveri potest, an non etiam in Germania, aut saltem in Styria, in Carinthia, utpote regionibus Insubriae adjacentibus, sua discrimina ferat? Quod Dii avertant!

Morbi denominatio.

Pellagra, forsan ab italico verbo *pellarsi* desquammari derivanda, multis, tam scriptoribus, quam vulgo nuncupatur nominibus, uti sunt: *Scorbuto alpino, pellarina, mal salso, mal rosso, insolato, insolazione, scottatura, calore del fegato, mal della spianza etc.*

Pellagrae veram definitionem dare, vetat ejus non perspecta indoles, ac prodigiosa forma, tamen, ut quousque licet morbum conspectum habeamus, sequenti ratione describi potest:

Pellagra est morbus chronicus, universalis endemicus, cerebri, nervorum, productionisque systematis functiones potissimum laedens, verno tempore macula rosea in dorso manuum, pedum, aliarumque aeri, solique expositarum partium, excepta facie, plerumque apparens, cum subsequente desquamatione, hyeme ex integro, aut fere ex integro disparens, sequenti anno haud raro gravioribus stipatus symptomatibus recurrit, tandem melancholia, spasmis, hydromania comitata, mortem vix non semper inducit.

Morbi Imago.

Ut ea, quae sparsim in diversis historiis de Pellagra annotaverunt Auctores, in unum ordinatim disposita symptomata habeamus, et exinde veram hujusce morbi imaginem comparare valeamus, omnia colligere, essentialia ab accidentalibus distinguere, ac unicuique stadio sua tribuere juvabit.

Quasi otio peracta hyeme, agricolae accedente verno, ad agrestes suos redeunt labores, ac qui huic morbo obnoxii sunt, delassantur, fiunt temulenti, tristes, morosi, ac si hypochondriaca passio illos adoriretur; oculi obnubilantur, scintillae, diplopia, photophobia, aurium tinnitus accedunt, lineamenta faciei, ex spasmodica musculorum facialium passione, alterantur, facultates intellectuales hebescunt, adpetentia raro prosternitur, ut plurimum fame vexantur, et si multa comedunt, bene digerere se asserunt; non nunquam de sensatione in faucibus ac si bolus illis esset deglutiendus, conqueruntur, dolores ventriculi, saepe nausea, flatulentia, alvi turbae superveniunt.

Bonus corporis habitus, vigorque naturalis sensim deficiunt, taediosi, levi utut labore defatigantur, debilitantur, insignis sequitur pedum gravitas, stupor, vertigo, caduca mente

qua obnubilati incedunt, nisi sese sustineant, humi concidunt; in systemate circulatorio vix inveniuntur turbae, si pulsum parum debilem et lentum, quod saepe observatur, excipias. Nihilominus in laboribus suis persistunt, nisi (quod quidem tam frequenter evenit, ut Strambio pro Pellagrae symptomate constantiore habeat) spasmi musculorum, et praeprimis Crampus exoriatur. Quod spasmi genus aliquoties adeo vehemens fit, ut pessimi effectus exinde exsurgant. Hic status qui *primum complet stadium*, etiam *delitescentiae* dictum, per aliquot septimanas, imo et per annum integrum perdurat.

Eo tempore ardoris, pruritus, caloris fugacis per varia corporis membra proserpentis sensatio accedit, ac cutis, nisi prius jam evenerit ad dorsum manuum, et pedum leniter rubescere, ac sub furfuris, aut squamarum forma foedari incipit. Haec cutis adfectio non semper eadem forma apparet; alii enim ardore quodam primum corripiuntur, cui dein roseus rubor, et furfuracea epidermidis separatio accedunt; aliis praeter dicta in amplas phlyctaenas, sero flavicanti turgidas, quasi ambustio praecesserit, cuticula attollitur; aliis sensim separatur epidermis nigricans, et exsiccata, quin ardor accedat, aut rubor; sunt plurimi tandem quos scissurae, et phlyctaenae aderiuntur. Ast

quomodocunque haec cutis deturpatio procedat, vel desquametur, vel sub phlyctaenarum, vel erisypelatis forma adpareat, aegri semper eamdem internorum symptomatum syndromen conqueruntur.

Pulsus ut plurimum parvi et debiles, etiam in iis, qui athletico habitu, et plethorica donantur temperie, quin imo aliquoties tardi rarique tanguntur; hinc inde aurium susurrus, vertigo, raucedo, coryza accedunt.

In feminis menses turbantur, non nunquam copiosiores evadunt adeo, ut facile metrorrhagiam diceres; et tunc morbus celerius decurrit. Saepe vero parciores, aut ex integro cessant. In juvenibus haemorrhagiae sunt rarae, diarrhoea saepissime occurrit diversis in stadiis, quae saepe tam pertinax, et effroenis evadit, ut maciem, hydropem, ipsamque mortem inducat. Febris pariter diversis in stadiis lenta, aut intermittens supervenit non nunquam, quae saepe tam obstinata est, ut nec Chinae quidem usui cedat.

Nunc ad cutis adfectionem iterum redeamus. Ne vero credas, haec tantum ad dorsum manuum limitari, quum et aliae plures corporis partes eodem vitio adfici possint, dummodo nudatae aëri, solisque radiis exponantur. Hinc saepe accidit, ut agricolis, qui dum agrestibus incumbunt laboribus, soluto indusii

collari, inversis manicis, calceisque detractis procedunt, collum, jugulum, sternum, brachia, pedum tibiaeque dorsum, hujusmodi quoque corripiuntur cutis deturpatione.

Facies una, etsi prae ceteris aëris, et solis obnoxia sit actioni, plerumque tamen immunis a pellagrosa foeditate servatur.

Haec cutis adfectio vere erumpit, aestate imminuitur, autumno vix ejus invenitur vestigium; ingruente vero hyeme saepe disparet ita, ut sanitati omnino restituti aegri habeantur iis, qui cutis conditionem contemplantes cetera negligunt. Verum, gelida tempestate ad finem vergente, iterum rediviva eamdem ludens scenam, uti anno praegresso prorumpit.

Talis est communis hujus morbi desquamationis vicissitudo, quam tamen ne semper credas ita constantem, ut mutata non inveniatur; nam autumno renata, hyemem perdurans observabatur nonnunquam. Nec desunt exempla pellagrosorum, in quibus nulla cutanea adfectio sese insinuat, et hoc praeprimis in illis, qui vitam umbratilem ducunt, dum alii contra Pellagrae symptomatum caterva misere vexantur adeo, ut cutis deturpatio minime symptoma Pellagrae pathognomonicum, uti quidem multi habuerunt, esse videatur, utpote saepe deficiens. Sed ut hocce assertum magis comprobemus, examen relationis inter cutis

adfectionem et reliquam symptomatum syndromen instituendum censemus. Si experientiam, quam ducem ex rationis praecepto nunquam derelinquere oportet, consulimus, nullam inveniemus phaenomenorum horum inter se relationem; nam quoad reliqua pellagrosi non nunquam leviter aegrotant, licet manus, pedes, aliaeve corporis partes aëri expositae desquamationem horridam offerant; alias contra, cum cuticulae levissima separatione ad conclamatum morbi gradum miseri perveniunt. Quin imo saepe accidit, ut idem aeger, per anni unius decursum, fere nullum salutis experiatur detrimentum, etsi maxima sit desquamatio; altero contra pessima valetudine utatur, vix ullo apparente ejus vestigio. Hisce autem addendum est, externum hujusmodi vitium, saepe vel simplici lotione minui, vel sola vita umbratili deleri, quin in reliquis magis saevientibus symptomatibus ullum experiantur levamen, morbo contra in pejus non raro ruente.

Quae cum ita sint, cutis deturpationem majorem vel minorem nec pro symptomate Pellagrae individuo habebis, nec morbi intensitatem exinde metieris, neque morbum ad cutaneorum classem, uti multi fecerunt, adscribes. Tali ergo ratione morbus *secundum absolvit stadium*.

Nunc processus morbosus, qui tamen magis

in systemate dermatico sedem figebat, intenditur profundiusque organismum ingreditur; nam aliquoties evenit, ut partes, vitio cutaneo labefactatae, ita vexentur, ut fere Leprae imaginem referant. Vires ita collabuntur, ut jam laboribus suis, morbo tentati, amplius fungi nequeant. Hic praecipue partialis notatur debilitas artuum inferiorum: hinc inde enim accidit miseros videre, aegre pedibus insistere, crura difficulter trahere, et singulis passibus vacillantes huc illuc inclinare, prae summa debilitate, quam circa regionem sacralem dicunt experiri. Modo capitis, lumborum, pedum dolores adoriuntur. Sudores ad plantas pedum, volas manuum, communiter vero universales, molestant aegros; qui si tales sunt, odorem peculiarem spargunt, a Janzen cum illo panis mucore obtecti, et a Strambio cum illo, qui e bombycum folliculis maceratis erumpere solet, comparatum. Morbo vero diu durante in cadaverosum tendit.

Aliquoties ptyalismus supervenit, qui tamen quocunque in stadio, per vices recurrere potest; ita, ut aegris ubertim salsa saliva ex ore effluat. Saporem huncce salsum, etiam extra ptyalismi occasionem plurimi solent conqueri Pellagra laborantes, horis praeprimis matutinis. Nunc siccitas linguae, oris, dysuria, proclivitas in decubitum, in gangraenam

valdopere tendentem, exurgit; sanguis si mittitur, aut sponte promanat, dissolutus, ater notatur, musculi saepe rigescunt, ita ut Crampus, spasmi Cinici, opisthotonus e. s. superveniant. Pueri agiliores fiunt, et motus vivaciores instituunt.

Hîc non raro gingivae tument, fungosae evadunt, facile sanguinem fundunt, dentes nigrescunt, lingua, labia, buccae aphthis tum nigris, tum rubellis, saepe in ulcera maligna transeuntibus occupantur; anima foetet, ecchymoses a sanguine sub cute effuso, colore roseo, rubro, atro, aut et livido aliquando inveniuntur, potissimum ad dorsum manuum, posteriorem cubiti partem, et ad faciem ipsam; alvus communiter diarrhoica, nonnunquam obstipa flatulentia miseros vexans; urinae turbidae, fuscae, sedimentum roseum, aliquoties album deponentes, et levamen transitorium afferentes. Quae omnia, vel a peculiari jam humorum discrasia, vel forsan ab associatione Scorbuti repetenda esse existimarem. *En tertium absolutum stadium.*

Morbus, diversa ratione jam labefactato organismo, hîc minime quiescens, ultra progreditur, ac systema inter omnium nobilissimum, nervosum nempe magis ac antea invadit, viribus jam valdopere collapsis, ita ut miseri nec pedibus amplius insistere valeant. Pulsus

adhuc rariores et debiliores tanguntur, macies notabiliter increscit, secretiones morbose augentur; major nunc aurium susurrus, vertigo gravior, frequens expuitio, delirii accessum pronunciant. Fiunt tristes, attoniti, cibum et potum recusant, adspectu truci obmurmurant; alii caput huc illuc velociter agitantes tintinnabuli sonum voce imitantur; scotomia, mentis confusio, animi stupor, amnesia, ita, ut nec recentissime actorum recordentur, imo et usitatissimas expressiones obliviscantur. Nunc maxime infelices illi fiunt vesani, rarissime furibundi, saepissime melancholici, errabundi, ita, ut domesticos fugiant lares, solitudinem quaerant, clamantes, ridentes, ejulantes: non nulli religiosi, judicia Dei timentes, diem et noctem preces fundunt: alii cogitabundi, et immobiles minime respondent, fugiunt, et quo vadant, nesciunt. In hunc statum tandem perveniunt, in quo vitae pertaesi, se raro laqueo suspendunt, saepissime aquis se submergunt. Quae omnes delirii species saepe per menses plures perdurant, mitescunt tandem, denuo recurrunt. Hanc in aquas se praecipitandi cupiditatem, *hydromaniam* dictam, ab ingentis cutis pruritus, et ardoris molestissima sensatione repetunt non nulli. Haec miseranda conditio, remissionibus exacerbationibusque alternans, per annos perdurare potest; ac

tandem accedente atrophia, ascite, tabe, febri hectica, non nunquam putrida, aut gangraena infimi dorsi, victimae lethaeis sopiuntur undis.

Cadaverum sectiones, ex quibus primo intuitu multa pro Diagnosi colligi posse videantur, pauca tantum, eaque inconstantia, ac incerta nobis praestant. In nonnullis enim vasa meningum quidquam solito magis, vel sanguine, vel sero repleta; alia aëre inflata, inter duram et arachnoideam membranam, quidquam rubescentis seri, cerebrum mollius, solito plus seri in ejus ventriculis, in aliis vero nullae in cranio observabantur anomaliae. An haec morbi causam constituunt? Nobis non videtur, sed potius contrariae sumus sententiae, et tanquam morbi effectus, nec non mortis ipsius, habemus.

In pectoris cavitate nihil notatur peculiare, excepto in illis, qui aliquo thoracis morbo antea laboraverunt, aut quibus Pellagra phthisi, quod saepe evenit, terminabatur, cor tamen flaccidum, pallidum, ejusque parietes extenuati.

In abdominis cavitate, ventriculus, et intestina saepissime maculis rubro-lividis, hinc inde gangraenosis obsita, hepar molle, marcidum, et in aliquibus normale: vena portae haud raro vacua, cystis fellea bili flava, viridescente repleta; lienis volumen communiter

imminutum, ejusque substantia marcida, sanguine fluido repleta occurrunt: nec desunt exempla lienis volumine adaucti, cadavera admodum foetent, illico in putredinem ruentia.

Talis est, ut vidimus, Pellagrae decursus, talia sunt ejus phaenomena; attamen, minime credas, Proteiformis hujus morbi symptomata semper, quantitate, ac ordine descripto succedere, quin imo innumerabiles notantur anomaliae. In non nullis enim aegris, vernali tempore prius desquamatione manus foedantur, quam caetera symptomata appareant; in aliis contra symptomata interna, jam pridem proruperunt, et extus nihil vides, imo symptomata nervosa praeeunt, modo tantum adulto jam morbo conspiciuntur.

Quod etiam de doloribus, deliriis, diarrhoea, ptyalismo, et pluribus aliis valet. Hoc tamen notandum est, duo ultima haec stadia celeri passu sese excipere, atque in se invicem abire.

In Pellagra igitur non datur talis symptomatum successio, ut exinde desumi possit morbi gradus, sed ad eorum intensitatem oportet, ut medicus attendat. Neque constans est regula, ut quotannis aeger Pellagra laborans in pejus ruat. Sunt enim qui plurium annorum spatio, morbum facile ferant; sunt contra, queis summum vitae periculum derepente incumbit, nec

deficiunt, quibus morbus modo mitigatus, modo latet, modo iterum quasi e funeribus redivivus, summa vehementia caput extollit; sunt etiam, quorum morbus unum tantum latus, altero intacto, adoritur.

Ex hucusque dictis patet, Pellagram tantum in levem, gravem, et desperatam dividi posse; cujus divisionis basis, non in symptomatum diversitate, aut successione, verum in eorum intensitate ut fundetur oportet. Sunt etiam, qui symptomata cutanea respicientes, in apertam, et occultam seu delitescentem dividant. Doct. Moris, et non nulli recentiorum, Pellagram in sthenicam et asthenicam dividunt; nos autem optaremus, ut characteres, quibus altera ab altera distinguatur, edocuissent. Multi tandem fuerunt, qui Pellagram, minime pro morbo sui generis habentes, aliis cum morborum speciebus, uti praecipue cum Lepra Arabum, cum Scorbuto, cum Hypochondriasi, imo, nescio quo genio ducti, cum Raphania, confuderunt.

Ast si diligentem ac strictam cum dictis morborum formis singulatim comparationem instituere velimus, atque ad indolem, dispositionem, ad causas occasionales, ad juvantia, et nocentia, et ad singula horum morborum symptomata oculos convertamus, primo jam intuitu certas ac characteristicas inveniemus

differentias, quibus Pellagra ab omni alio morbo insigniter distinguitur; ita ut revera inutile foret, hic collationem inter Pellagram, et unamquamque horum morborum formam instituere.

Morbi aetiologia.

Nunc nostri suscepti ordo postulat quidem, ut Pellagrae causam et originem exponamus: ast res, ut frequentissime in medicina contingit, omnibus scriptoribus difficilis semper fuit, nobis vero difficillima; attamen, ut aliquam hujus rei adumbrationem habeamus, de momentis disponentibus, excitantibus, proximis et remotis, quae nostrae vires admittunt, verba faciemus.

In examine causarum disponentium, primo jam intuitu observamus morbum nulli corporis constitutioni, nec aetati, nec temperamento parcere; nam plethoricos et phlegmaticos, cholericos et melancholicos, graciles, et obesos, athleticoque praeditos habitu; viros ac mulieres, juvenes et senes, haec pestis adoritur. Nec climatis constitutio meliorem nobis praestat causae, qua morbus hic nascitur, notionem; nam aeque in montibus altis, aëre sereno, sicco, calido, ventilatis, quam in vallibus humidis, paludosis, ubi aër vaporibus, exhalationibusque diversis,

gravis stagnat: nec caloris gradus, nec ciborum conditio rem dilucidare valet; nam Pellagra tam in regionibus magno horizonte donatis; ubi sol tota splendet die, quam in vallibus angustis profundisque, tantum per paucas horas ab hoc vitae fonte illustratis, aequale ac durum exercet imperium. Id tamen licet observare, feminas prae viris, et inprimis large menstruantes, gravidas laetantesque hoc morbo adfligi. Doct. Frapolli, quum Pellagram pro morbo cutaneo habuisset, atque observasset, praeprimis sub vernali aequinoctio in illis ruriculis, qui solis radiis sese exponunt, morbum prorumpere, ac contra, sollicite vitam umbratilem viventes, minime adfici, et adfectos quoque sub tali vivendi ratione melius habere, imo adfectionem cutaneam evanescere, credidit, causam sufficientem in solis actione haberi, ita ut *insolatio* pro unica hujus morbi causa ab illo statuatur, dicente: *Nunc satis evidens, et unica causa est insolatio*; huic sententiae multi etiam alii consenserunt.

Ast nos cutaneam adfectionem, tantummodo hujus aegrotandi rationis symptoma esse vidimus, et vitam umbratilem solum hoc mitigare, aut ad summum praepedire; minime vero totum morbum compescere, adnotavimus; et quamquam nos concedamus, solis actionem admodum pellagrosam cutis deturpationem

promovere: nihilominus scimus, non omne id, quod morbum exacerbare valet, semper quoque morbi causam sistere.

Cur enim, sol tantum in Insubria, et Asturia hanc veneficam exserit virtutem? Etiam aliae, et plures sunt regiones, sideri ardenti expositae, quarum agrestes, duris laboribus sub diu, ut nostrates desudant: quare et in illis non evolvitur Pellagra?

Alii causam excitantem in victu posuerunt, animadvertentes, Italiae rusticos mera fere pulte, et pane ex farina *Zeae Mays. Lin.* confectis victitare, ut pote nutrimento, parum glutinis et mucilaginis continenti: et in hac opinione, eo magis confirmabantur, quum vidissent, ab illo tempore tantum Pellagram comparuisse, quo Zea Mays ex India ad nos transferebatur. Clar. Fanzago ex pauco ac tenui hujus segetis nutrimento morbum repetit. Celeb. vero Marzari non tam nutrimenti defectum hujus cerealis, quam propriam maleficam vim, ex illo scatentem, de Pellagrae origine accusat.

Ast totius Italiae agricolae hoc fere unico victu utuntur, tamen Insubriani solum Pellagra corripiuntur: tunc et opifices, et qui vita misera detinentur, aeque ex Zea Mays trahunt alimentum. Pellagra corripi deberent, quod tamen communiter non fit. Tandem et Indiani, apud quos haec planta indigena est, ut

plurimum eamdem in nutrimentum convertunt; nihilominus sani vivunt, nec unquam ab itineratoribus Pellagra inter illos inveniebatur.

Odoardi generatim victum farinosum accusat, et hoc, ut ille dicit, propter collam in farinosis contentam, quae facili negotio in acrimoniam, sic dictam acidam in stomacho ruit, quae tunc ultra per vasa lymphatica absorpta, totius massae sanguinis communicatur, corrumpitur, et sic Pellagrae ansam praebet.

Sed alii etiam homines praeter agricolas, aliis in regionibus fere meris farinosis vivunt, quae certe majorem collae copiam continent, quam Zea Mays, et tamen apud illos non noscitur Pellagra.

Alii vero credunt, Pellagram ex contagio exoriri: ast si respicimus tot pellagrosos plures annos per vicos errare, in domiciliis angustis inter numerosas familias degere, cognatos et parentes iisdem suppellectilibus, vestimentis uti, eodem cochleari cibos ingerere, communi e poculo bibere, communia habere officia; praeterea maritum cum uxore pellagrosa decumbere, et vice versa, ac filios procreare, quin tamen adficiantur: tandem si experimenta Cl. Gherardini, qui ex consilio humorem ex maxime pellagrosis scatentem sibi adplicuit; porro illa Cl. Bunivae, qui sibi ipse salivam, sanguinem, et materiem ex plagis cutis adfectae

profluentem inoculavit, quin alteruter infectus fuerit; ex hisce profecto omnibus satis evictum esse, nemo non videbit, Pellagram minime per contagium exoriri, propagarique.

Non nulli tandem, et praecipue recentiores, miasma Pellagrae proprium, specificum supposuerunt. Ajunt nempe: Adsunt causae locales quot annis recurrentes, ex quibus miasma evolvi potest; attamen qualis sit hujusmodi miasmatis indoles, et natura; deinde quae ad ejus evolutionem necessaria sit loci constitutio. et conditio, quae sint momenta illi faventia, ignorant: nam et illi sub toto coelo diversis loci constitutionibus miasma hocce evolvi observant. An hujus miasmatis indoles talis est, ut tantum in miseros agrestes saevire possit? Nam urbium incolae, et agricolae commodius viventes, immunes remanent. Allioni quidem dicit, hoc miasma esse productum ex concursu duorum miasmatum: miliaris nempe, et petechialis, quorum posterius ex febri catarrhoso-miliari evolvitur.

Nunc vero, ad causae proximae explicationem accedentes auctores, a vario tunc temporis Pathologiae genio ducti, in diversas inciderunt hypotheses. Frapolli, Zanetti, Odoardi, Gherardini, Albera, Widemar, et alii varias acrimonias accusarunt; prout cuique acrimonia indolis acidae, alcalinae, neutrius, muriaticae,

neutro-ammoniacalis, viscidae et tenacis, atque excessus oxydationis humorum placuit. Sed nunc jam omnibus notum est, tales gratuitas hypotheses, praeterquam quod therapia illis superstructa nil boni, detrimenti potius attulerit, tantum morbi effectus, minime vero causam explicuisse.

Clar. Soler, et Fanzago, rei propius accedentes, causam proximam in statu atonico ventriculi et intestinorum posuerunt, qui tunc aliis visceribus abdominalibus, et in specie illis, qui chylopoieticum systema constituunt, sese communicat, et exinde denique degenerationem repetunt humorum.

Recentiores vero scriptores, morbum ex inflammatione cerebri, nervorum, et medullae spinalis repetunt: potissimum, quum in sectis cadaveribus non nunquam in aliquem meningum et cerebri ruborem, seri copiam solito majorem, aliquid sanguinis extravasatum offendebant. Insuper, quia observarunt, morbum fere semper, ut et nos supra notavimus, a symptomatibus nervosis, et a doloribus extremitatum inferiorum, quos illi ab inflammatione medullae spinalis repetunt, incipere.

Ast si consideramus praeterea, quod alia manifestiora adesse deberent symptomata, cadaveribus obductis nunquam in cranio luculentiora nec praesentis, nec praeteritae inflam-

mationis signa inveniri; uti foret manifestus rubor, turgor, sanguinisque congestiones in cerebri membranis, et in cerebro ipso, nec non in ipsis nervis; porro indurationes, suppuratio, concretio, et alia: cum illis consentire haud possumus. Verum quidem est in sat multis cadaveribus aliquem ruborem, serum majori in copia, quam solet, imo et extravasata inventa esse; sed haec phaenomena minime sunt constantia, nec sat manifesta; quod, si morbus ex inflammatione dependeret, in omni sectione hoc morbo defunctorum, et quidem luculentius inveniretur; quapropter a veritate non abludet, si haec omnia potius morbo, et ipsi morti tribuantur.

Tandem, quod mihi maximi est momenti, si morbus ex inflammatione cerebri, aut systematis nervosi prodiret, certe non per tot persisteret annos, nec omnia Medicorum conamina eluderet, eo minus, quum hic loci, ubi suum Pellagra exercet imperium, apparatus antiphlogisticus, certe non minus parca manu administretur. Ast antiquissima ac fidelis est observatio, venaesectiones, alvi purgationes fortiores, morbum deteriorem et praecipitem reddere; contra victu lauto, magis animali, medicamentis tonicis, roborantibus, China, et vino generoso in decursu suo detineri, compesci, et si nondum in ultimis versatur stadiis, non nunquam ex integro sanari.

Experientia interim docuit, illos praeprimis in hunc morbum incidere, qui febri intermittente autumnali, pertinaci, et qualicunque morbo debilitatis vitalis laborantes; praeterea rachitici, chloroticae puellae, feminae, et prae omnibus large menstruantes, gravidae, lactantes, et quae partus difficiles, laboriosos absolverunt, et quae mala exinde provenientia flocci faciunt.

Nos vero causas hujusmodi aegrotandi rationis inquirentes, ut lumen aliquod in tot tenebris illucescat, brevem agricolarum hujus a Pellagra vexatae regionis descriptionem, eorum vivendi rationem, consuetudines, ac circumstantias, sub quibus vivunt, praemittere non inutile putamus. Scimus interim, prae omnibus tantum agrestes maxima miseria et aerumnis obrutos a Pellagra invadi. Isti enim non agros possident suos, isti bona paterna gustare nequeunt. In aliorum utilitatem terram colere, et sudore irrorare miseros coegit sors tyrannica. Heri hos saepe miseros minus curant, quam turpia animalia, quamquam exinde vitam hauriant et divitias. Hi miseri tota die ab inspectore, saepe omni humanitate destituto, solis jam ante ortum ad duros gravesque labores coguntur, et illi, sub ardentibus solis radiis, emaciato corpore, solum vertunt non suum, vitesque colunt sibi solis ingratas. Vix

illis conceditur tempus, ut paucum viliorem-que sumant cibum: vesperi domum redeuntes officia domestica ut peragant oportet, ita ut et somnus, unicum illorum bonum, maxime necessarius detrahatur. Quo utuntur, cibus crudus est, et ex sola farina Zea Mays vilioris conditionis, saepe immaturae constat, cum aqua in pultem redacta, saepe nec sale, quod a natura tam larga manu concedebatur, conditur, sine aut cum pauco vilissimo caseo. Unde summum virium dispendium, quod per graves labores faciunt, haud resarcire possunt. Pro siti fallenda ingenti, vel vinum vilissimum, corruptum, lora *(vin piccolo)* dictum, vel aqua stagnans, multis substantiis inquinata, putrida misellos expectat. Carnem fere toto anno comedere ipsis non conceditur. Domicilia sunt casae parvae, submissae, angustae, parum aut nil ventilatae, magna parte ex arundinibus et creta confectae, solo humido erectae, aquis stagnantibus, paludibusque circumdatae. Hic humi miserrima familia pauco stramento substrato degit, et prope imo non nunquam, sues pullique pro hero destinati, lectum communem participant. Mundiciem, segnitiei et indigentiae causa, ex integro negligunt. *Gelida* vero tempestate otiosi tempus, donec ver redierit, in stabulis terunt.

In Foro Julio, et Tarvisii sub diverso coelo

vivunt agrestes. Maxima eorum pars, quamquam tenuissimos ac steriles, tamen suos possidet agros: nihilominus victu crudo et Zea Mays tantum et hîc utuntur. Ignavia vero, et pigritia inter eos regnat ita, ut nec dira fames valeat illos industriosos reddere. Domiciliis pariter angustis, non ventilatis, se recipiunt, omni munditie neglecta. Praeterea observare juvabit, ultimis hisce temporibus, ubi nempe Pellagra altius caput extulit, paucas exilesque fruges, quas messuerunt, propter coeli inclementiam, non probe maturatas fuisse, ita, ut omni ratione miseriae, et aerumnarum pondere, omni ex parte obruerentur miseri. Revera hîc dici potest: « *O fortunati nimium, sua si bona norint Agricolae!* »

Ex hucusque dictis vero causas sufficienti quantitate erumpentes, ac in unum conspirantes videmus, ex quibus tam physicae, quam dynamicae vires labefactari necesse est. Haud ardue igitur comprehenditur, a supra dictis circumstantiis, tot nempe causas deprimentes sistentibus, praeprimis in ventriculum et assimilationis systema, exinde in totum organismum agentes; eorum vires non solum quoad quantitatem, verum etiam quoad qualitatem alterari debere. Actio enim vitalis, generatim in toto organismo quidem eadem est, attamen in quocunque organo et systemate a variis

causis modificatur, quam etiam diversimode adfici posse, veritati consentaneum est.

In nostro autem casu morbifica momenta, magis ventriculum, et systema gastricum adgredi videntur, ubi praeprimis vegetatio et incitatio adulteratur, ac atonia inducitur. Nunc vero organis vegetationis ita labefactatis, ac iisdem semper perstantibus momentis morbiferis, nemo mirabitur, si e nutrimento, uti est crudum, male paratum, farinosum, inane, materies ab actione vitali deperdita et destructa, organismo animali debita quantitate, et ad necessariam organismi formam adcommodata, minime extrahi possit. Chylificatio igitur, et sanguificatio, ac organica materia, quae ex inde per nutritionis processum elaborari deberet, minime ad debitum perfectionis culmen evolvi potest. Metamorphosis propterea sic dicta progressiva, a processu vitali, tam in quantitate, quam jam in qualitate peccante, ita retinetur, ut materia organisanda in gradibus inferioribus detineatur non solum, verum etiam propter processum vitalem in qualitate aberrantem, productum abnorme exsurgere debeat.

Haec non ad debitum perfectionis culmen elevata, et productum sistens morbosum, materies prae omnibus in organis abdominalibus videtur residere, sanguini communicari, et specificum processum morbosum inducere: hinc

diversae viscerum abdominalium turbae, adpetentia, tum exaltata, tum depressa, flatulentia, oppletionis sensus, turbae alvinae, et alia. Quem vero consensus inter viscera abdominalia et systema cerebrale non latet, eum nec symptomatum nervosorum in Pellagra comparentium origo latebit. Symptomata denique cutanea duplici ex fonte exoriri posse putamus.

Vidimus enim, ex passione, ac adulterata functione viscerum abdominalium, et assimilationis systematis, humores non solum in sua perfectione retineri, verum etiam in sua qualitate peculiariter mutari; propterea mirandum non erit, si hi humores, utpote sanguis, ad cutem pervenientes, quae ab aliis jam causis, diversis in locis, male disposita, peculiarem processum morbosum inducant, et illa exinde cutis deturpatio procreetur, quam supra jam delineavimus. Alius vero fons, ex quo haec cutanea symptomata scaturire possunt, in magno sympathico consensu, inter cutem externam et primas vias residente, quaerendus est.

Tamen, cur ex enumeratis causis haec peculiaris morbi forma, hisce tantum in locis, in Insubria nempe, pullulet, certe ardue determinabitur, nosque penitus ignorare fatemur. An ex peculiari vi in nutrimento, nempe Zea Mays, latente, an in climate, an in solis actione, an vero in peculiari miasmate horum

locorum endemico, occultetur ratio, certe difficile statuitur. Tamen « *sufficit nosse effectus, etsi causae nos lateant.* »

Ex dictis tamen patet, morbum non amplius ad cutaneorum classem, ut veteres fecerunt, adnumerandum esse: sed, quum in deviatione processus vitalis, praecipue vero systematis assimilationis, et in humorum ex inde venientium anomalia morbum consistere demonstravimus, patet, Pellagram ad morbos vegetationis, ad classem cachexiarum, ad ordinem humorum peccantium esse relegandam.

Non minus patere credimus, quousque morbus, ut non nulli voluerunt, haereditarius dicendus sit. Ex parentibus enim Pellagra laborantibus, unde actio vitalis, et organisatio labefactantur, certe integram prolem nemo expectabit, sed tali potius dispositione donatam, ut si iisdem miseriis pressa fuerit, ac iisdem exposita potentiis Pellagrae faventibus, etiam tenella adhuc aetate in huncce morbum incidat.

Prognosis.

In omni morbo generatim, ut rationalis eruatur prognosis, omnia momenta rite sunt perpendenda, ac ejus natura, indoles, effectus, momenta disponentia, morbum excitantia,

juvantia, et nocentia sedulo sunt examinanda. Videamus igitur, hac prognosticandi methodo ducti, quid in nostro morbo sperandum, quid timendum habeamus.

Ante omnia, natura hujus morbi adhuc densis obvelatur tenebris; in morbo vero naturae non conspectae certe parum sperandum, eo minus in nostro casu. Si ad indolem huius aegrotandi rationis oculos convertimus, observamus, Pellagram non amplius tam paucas infestare regiones, ut ab initio solebat, sed latius proserpere, majorem individuorum numerum adgredi, neque infantibus, ut solebat, parcere, ita ut jam nonnullis in locis 5, et 6 pellagrosi intra centum incolas numerentur. Nec ejus decursus modo in multos protenditur annos, sed spatio duorum, aut trium ad summum annorum deleterio modo jam terminatur. Tandem adhuc notandum est, quod in suo exordio Pellagra occulta, seu delitescens non adnotabatur; nunc vero jam profani, ex singulari lineamentorum faciei alienatione, et a peculiari oculorum adspectu Pellagram delitescentem cognoscere valent, et vernaculo sermone *(occhi imburiti)* designat. Ergo ex indole certe nihil sperandum, potius timendum.

Si ad effectus respicimus; heu quem horrorem vobis incutit! nam morbus, qui ab initio tanquam anguis in herba reconditus, atro

dente insidias disponit, si ita invaluerit, ut omnibus suis symptomatibus se prodat, tum jam conclamatum est, et mors potius optanda, quam timenda.

Ex momentis disponentibus, et excitantibus, a quibus plurimum foret expectandum, quum partim nondum bene pateant, et quae patere videntur, tam ardue, aut nullomodo removeri possint, quid sit expectandum, nemo compertum non habebit. Ex juvantibus, et nocentibus, quum certa ac rationali medendi methodo hucusque adhuc destituamur, pariter non nisi dubia, et incerta assequimur. A Medicis enim, a diverso theoriae genio ductis, varia diversis sub temporibus instituebantur pericula, varia tentabantur pharmaca, imo et inter se contraria; ast exinde collecti effectus expectationi minime responderunt.

Videamus igitur ex parte individuorum quid sit expectandum. Certe aetas juvenilis, temperamentum fervidum, habitus corporis robustus, aeger nullis antea labefactatus morbis, sunt momenta pro futuro morbi judicio bona, et laudabilia; ast ex altera parte agrestes sunt indolentes, impatientes, brevi temporis spatio sanari volunt, consuetudinibus, inclinationibusque, quibus tam stricte adhaerent, valedicere nolunt. Medicum tantum morbo jam provecto, et saepe conclamato consulunt,

nec sua praecepta magni faciunt. Suos labores, etiam deficientibus viribus, continuo peragunt, et sibi ipsis, ne labores interrumpant, se non aegrotare persuadent; imo saepe suorum boum, et juvencorum valetudo magis quam propria ipsis est cordi.

Quid tandem si annonae caritas supervenerit? utpote famosus Pellagrae fons, ita ut Doct. VACCARI Pellagram *mal della miseria* appellat. Quo se miseri recipiant, nesciunt. Ad herum? Miseris saepe ille crudelis partem hujus, quod dilapidat, aut quod vel suis praebet canibus, sibi similibus et sibi tam necessariis, supplicantibus truci vultu recusat. Propterea crudeli sorti suae aquiescere debent.

Ex hucusque enumeratis, ac rite perpensis Prognosis incerta semper, infausta saepissime exsurgit. Unica redemptionis probabilitas, a morbo recenti, ab ejus leviori gradu, a bona aegri constitutione, ac circumstantiis faventibus expectanda est.

Therapia.

Si perpendamus, tot tantasque, adeoque diversissimas opiniones, et theorias de Pellagrae origine, et natura nondum conspecta, mentem Medicorum exagitasse, quarum altera saepe alteri opposita contradixit; non

compertum habere non possumus, therapiam directam, rationalem, et a priori extructam haberi non posse. Cura igitur pro Pellagra directa hucusque non datur: illa enim non nisi in illis morborum formis locum habet, quarum causae exacte sciuntur, et ita constitutae sunt, ut arte amoveri, aut enervari queant. Propterea, donec ulterius, profundiusque in causas, et naturam hujus aegrotandi rationis penetrare fuerit concessum, therapiae indirectae quidem, tamen rationali aquiescere debemus.

Quum igitur supra adnotatum fuit, morbum in atonia ventriculi, et systematis assimilationis consistere, nec non in aberratione processus vitalis horum organorum fundari, ita, ut ex inde producta organica provenientia, normae minus respondentia emergant; res omnibus manifesta non esse non potest, optimam therapiam illam fore, quae, quod ejus fieri potest, morbi naturae, causis, et effectibus prospicere valet.

Ut igitur hi omnes absolvantur numeri, sequentes indicationes erunt explendae.

I. Causae tam morbum provocantes, quam illum sustinentes, amoveantur.

II. Ventriculo, et systemati assimilatorio debitus restituatur tonus, et processus vitalis a tramite suo deflectens corrigatur, ac tali

ratione productio organicae materiae normalis promoveatur.

III. Symptomatibus gravioribus, aut lateralibus occurratur.

IV. Crises, et reconvalescentia rite dirigantur.

Certe, ut in omni morbo, sic et in Pellagra omnia Medicorum conamina frustra forent, nisi causae morbum excitantes, aut illum alentes tollerentur, debilitarentur, innocuae redderentur. Propterea valedicant illi, qui hoc morbo corripiuntur, laboribus, caveant a solis radiis, et vitam umbratilem ducant, abstineant a victu ex Zea Mays confecto, utantur victu ex animalibus junioribus parato, lacte, quod cel. Soler fere pro specifico in morbo pellagroso declarat, et ex quo expertissimi viri magnos effectus observarunt. Hauriant pro potu vinum optimum, aqua dilutum: uno verbo, vivendi ratio talis sit, ut Doct. Griva vult, nempe: *victus sit eupeptus, a laboribus eriatio.*

Illa vero, quae sub medicamentorum titulo veniunt, cum enumeratis in unum ut conspirent oportet. Hîc morbi natura, et indoles, quantum observare licuit, medicamenta tonica, amara, et leniter roborantia sibi expetit, ac experientia bonum eorum effectum confirmavit.

Si morbus vero jam provectior, et debilitas notabilis observata fuerit, tunc stimulantia

permanentia, et volatilia in auxilium vocanda, et regimen adcommodatum: hinc cortex Peruvianus, liquor anodynus Hoffmanni, aetheres minerales, vinum generosum, sinapismi, vesicantia, et balnea summopere commendanda.

Ast si degeneratio acida, aut pituita primarum viarum adesset, quae saepissime occurrit, tunc prius hae sunt tollenda; et hic clar. Profess. FANZAGO emetica valde quadrare observat; quod haud difficulter intelligèt ille, qui effectus emeticorum topicos, consensuales, et antagonisticos, et simul symptomata et organa a Pellagra adfecta bene perspexerit. Adhiberi possunt etiam purgantia, et ob systematis nervosi functionem laesam, talia, quae hujus systematis turbas componere, illudque adficere valent; quare ex nervinis volatilibus talia seligantur, quae praeter vim nervis gratam, intestinis quoque amicam exserunt. Hîc igitur quadrat aloetica, rhabarbarina cum cortice Cinam. Citri, Aurantior, Assa foetida, radix Acori, Infus. Rhei Sydenh. et alia.

Verum si diathesis observaretur, ut dicunt, sthenica, quam quidem in primis morbi incunabulis nonnunquam recentiores observari affirmant; tunc therapia characteri, ejusque intensitati ut adcommodetur oportet; propterea in usum trahenda sunt blanda, demulcentia, pacantia, abstinendo ab omni stimulante,

donec hic character, quod breviter eveniet, disparuerit. Si autem character iste irritativus tali cum intensitate caput extolleret, ut sanguinis depletio indicaretur, cauta manu instituatur, topicam depletionem universali praeferendo; propterea quia expertissimi artis periti observarunt, venaesectiones quidquam largiores, et alvi purgationes parum generosiores Pellagram accelerare, exasperare, et aegros in maxima discrimina conjicere.

Attentus praeterea sit Medicus; ne a temulentia, vertigine, oculorum scintillatione etc. ad venaesectiones seducatur, quae tali in casu si nulla alia phlogoseos adsunt manifestiora signa, certe in aegri detrimentum cedunt.

Quod si supra dicta ab initio morbi sedulo fiunt, et circumstantiae favent, tunc fere semper morbus jugulatur in cunis. Hinc illi, quibus tanquam heris miselli tam submisse serviunt, hae si corripiuntur lue, si non humanitati, saltem commodi gratia, maxime infortunatis succurrere deberent, nam melius est per mensem horum infelicium carere laboribus, quam perdere individua, illis tam necessaria.

Si vero symptomata urgentiora, aut lateralia supervenerint, illis est medicamentis idoneis occurendum, inter quae symptomata cephalica, vomitus, diarrhoea saepe effroenis numerantur.

Cutanea tandem adfectio, quum diversimode tam quoad formam, quam quoad intensitatem aegros vexet, diversa ac peculiaria remedia sibi expostulat. Si tantum levis adesset desquamatio, aut defurfuratio, tunc sedula a solis influxu partium adfectarum munitio, balnea simplicia, aut adhuc melius, lotiones cum lactis sero, aut cum lacte aqua remixto sufficiunt. Si vero haec cutis deturpatio, quod saepe evenit, ita invaluerit, ut exulcerationes, quae non raro malae indolis sunt, inflammationes, scissurae, rhagades jam exortae essent; tunc ulcera foeda sunt solerter depuranda, cataplasmata emollientia, humida, et lotiones hujus naturae in auxilium cienda.

Attamen si ulcera ad naturam magis inclinarent inertem, tunc dicta emollientia cum irritantibus commutentur; hîc quadrat e. g. Decoct. Herbae nicotianae, Scordi, aqua calcis, liquor mercurialis etc. Egregie insuper agunt balnea simplicia, sulphurica, marina.

A-pluribus vero scriptoribus, uti e. g. a Celeb. Albera, Soler, Facheris, Macoppe aliisque, et prae omnibus a doctiss. Profess. Fanzago, qui plurima in aegrotis hoc morbo detentis instituit pericula, cura lactea, etiam atque etiam commendatur. Haec lactis adhibendi methodus in eo consistit, ut lac tam interne, quam externe pellagrosis propinetur. Hinc aegri hanc

animalem substantiam, tam medicamenti, quam nutrimenti sub titulo, quantum illi ferre valent, propinare juvabit. Hoc quidem subintelligitur, quod si adversio aut idiosyncrasia hanc substantiam aversans aegris adesset, omnino abstinendum foret.

Externe vero, ex quo clar. FANZAGO cum optimo emolumento pluribus in casibus in usum vocavit, tali ratione adhibendum est:

Lac spongia marina, aut pannulo suscipitur, et partibus, a cutis adfectione tentatis, aliquoties de die fricando adplicatur, solum, aut aqua remixtum. Facta ejus adplicatione, partes bene tegere oportet, et solis radios sedulo arcere. Tali sub medendi methodo pluribus a Medicis non tantum cutis deturpatio disparere, verum etiam alia Pellagrae symptomata imminui observabantur.

Ast maximi in hoc morbo momenti est cura prophylactica, nam sane vix in ullo morbo, quam in Pellagra tam bene illud medicorum axioma quadrat: *facilius est morbum praecavere, quam praesentem sanare.* Sed in quo consistit prophylaxis hanc luem praecavens? Si miseria, et aerumna, ac mala nutrimentorum conditio multorum morborum genitrices sunt, certe fere unicus fons Pellagrae ex hucusque dictis esse videtur. Propterea hanc pestem radicitus tollendi propositio, in

miseriae diminutione tantum, et unice versabitur; ast haec nec in Medicorum, nec in agricolarum sunt potestate.

Tantum a Regimine, et legibus est flagitanda, et exspectanda. Ergo necesse foret, ut cultura Zeae Mays, quae apud nos tantopere invaluit, et cui agrestes nostri adeo adhaerent, restringatur, potius cultura frumenti, secalis, solani tuberosi, etc. promoveatur, et sic usus cibi ex Zea Mays parum nutrientis, saepissime propter immaturitatem nocentis, restringetur, et aliud melioris notae substituetur nutrimentum.

In hac re agricolae essent humaniter instruendi, illorum oculis mala exinde scatentia subjicienda, a Medicis, Parochis, et ab illis, qui publica sanitatis tuendae, et culturae promovendae officia gerunt. Aqua pariter magni est momenti. Agricolae non nullorum locorum aqua stagnanti, putrida utuntur, in qua substantiae animales, et vegetabiles decomponuntur, ubi ranae, hirudines, et mille alia deteriora animalia degunt. Verum quidem est, et grato animo recordamur, quod anno 1805 a nostro Augustissimo Imperatore sancitum fuit, ut omnia provinciae sanitatis officia, de aquae necessariae quantitate, et qualitate curam gerant, quod etiam factum est; sed ab illo tempore jam 17 anni intercurrerunt, propterea utile foret, ut hoc Paternum mandatum reiteraretur.

Insuper corporis mundities, ac cutis cultura illis esset inculcanda; quapropter optimum fore credo, si balnea publica ubi haec pestis suum tenet imperium instituerentur, quae, quin miselli aliquid pendant, possent intrare.

Medici, Parochi et Chirurgi vigilent, ut illis, in quibus morbus prorumpere minatur, illico auxilium ferretur. Hic tamen cum cl. Fanzago consentio, non nosodochia pro pellagrosis esse construenda. Vehementer enim aegrorum animum commovet et affligit, si repente ex familiae sinu remoti, ad nosocomia transferrentur, ubi sibi solis, tristibusque meditationibus, quibus pellagrosi communiter detinentur, relicti, morbus potius exasperaretur, quam mitigaretur; tunc alioquin haec hominum classis de valetudine sua parum sollicita nostrae artis auxilia tunc tantum petunt, quum jam morbus in tertio stadio, ubi, ut saepissime de chronicis morbis evenit, actum est. Melius itaque miserorum adversae valetudini consuleretur, si sumptus in haec nosocomia adhibendi, in meliorem aegrorum domi degentium victum, et diaetam impenderentur, ac major inde sanandi quoque morbi spes impertiretur.

DE LEPRA TAURICA

SPECIMEN ACADEMICUM

QUOD

PRO GRADU DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE OBTINENDO

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

IN UNIVERSITATE LIPSIENSI

SUBIICIT

AUCTOR

HENRICUS DE MARTIUS

DE LEPRA TAURICA.

Nomine leprae tauricae significatur malum exanthematicum chronicum et admodum perniciosum, in regionibus circa Chersonem, Uralskoi, aliasque lineae Caucasiae urbes sitis, in Astrachan provincia et in ripis fluminis Jaik dominans atque endemium, cuius natura inter lepram norvegicam et morbum cayennensem media observatur.

Accepit autem illud malum ea gratia morbi crimensis seu leprae chersonesae sive tauricae nomen, quod belli aliqua expeditione e Chersoneso taurica primum in alias regiones translatum fertur. Nigrum vero morbum Cosaci ad Jaik flumen habitantes hoc malum denominant, propterea quod in prioribus eius symptomatibus est color faciei coeruleo-nigrescens. Quo maligno morbo iidem illi Cosaci per copias astrachanas in expeditionem contra Persas adductas sese infectos contendunt.

Scriptores: Praecipui librorum de hoc morbo auctores sunt GMELIN (1), FALK (2), GUELDENSTAEDT (3) et PALLAS (4).

Diagnosis: Lepra taurica modo contagiosus modo non contagiosus morbus est. Contagiosum vero tunc sese exhibet, ubi constitutio corporis aegroti iam antea ad recipiendum hunc morbum erat disposita. Saepenumero autem nullo propagatur hic morbus contagio, quod multa declarant exempla coniugum satis superque infectioni obnoxiorum, nec tamen infectorum. Haud raro denique hereditarium hoc malum invenitur.

Affliguntur gravi hoc exanthemate omnis aetatis homines, praecipue vero humiliores populi classes et infima plebs, itaque iterum homines robusti corporis, mediae aetatis (5), temperamenti sanguineo-phlegmatici et sanguineo-melancholici (6). Feminae, quam viri

---

(1) *Reise durch Russland zur Untersuchung der drei Naturreiche.* St. Petersburg, 1770-1784. IV. Voll. (cum tabul.)-II. p. 169-172.

(2) *Beiträge zur topographischen Kenntniss des russischen Reichs.* St. Petersburg, 1785-1786. III. Voll. (cum tabul.)-I. p. 176.

(3) *Reise durch Russland und im Kaukasischen Gebirge.* St. Petersburg. 1787-1791. II. Voll. (cum tabul.)-I. p. 213-215.

(4) *Reise durch verschiedene Provinzen des russischen Reichs.* St. Petersburg. (Editio nova.) 1801. III. Voll. (cum tabul.)-I. p. 302-304. et p. 415-416.

(5) *Pallas*, l. c. p. 302.

(6) *Gmelin*, l. c. p. 171.

immuniores videntur. In superioribus populi classibus nunquam hoc malum invenitur; mihi saltem nullum tale occurrit exemplum.

Quatuor anni, imo vero sex et plures decurrunt, donec morbus ad supremum symptomatum et periculi gradum pervenerit. In septimo demum anno morbus funesto exitu finiri solet, scilicet ea aegrotantis conditione, ubi remedia aut nulla, aut ab imperitis et sic dicta remedia domestica, aut saluti plane contraria porrigebantur. Quae quidem in universum tantummodo valet sententia de morbi nostri decursu, quippe qui in diversis hominibus varius inveniri potest.

Iam symptomata singulorum stadiorum secundum ordinem, quo semper fere incedere solent, describere conabor. Si non semper eandem, quam nunc narraturus sum, morbi observes historiam, causam invenies vel in alius cuiusdam morbi complicatione, vel in singulari tui aegroti constitutione. Unusquisque medicus, ratione et doctrinâ non plane destitutus, in singulo quoque casu morbum, ut ego descripsi, cognoscet, nec difficulter fortuita a necessariis morbi symptomatibus distinguet et peculiari denique aegroti affectioni aptam curandi methodum eliget.

Symptomata: Primi anni symptomata cernuntur in caeruleis et crassis maculis, vel in

planis sine dolore tuberibus, quae in facie, mento, lateribus, extremitatibus, praecipue in radiali articuli carpi latere, nullis praecedentibus prodromis, proveniunt. Cuius exanthematis eruptio nullam sequitur certum ordinem; sed ubi in uno aegroto hunc modo dictum tenet ordinem, in altero plane alium habet. Interdum prioribus annis facies omnino libera relinquitur, maculis in articulis modo pedetentim erumpentibus, sensimque numero et ambitu crescentibus. Fit etiam, ut in hoc stadio febris accedat vel remittens vel intermittens, quae saepius autem deest. Praeterea aegroti huius stadii neque de doloribus, neque de virium prostratione queruntur.

Secundo anno et numero et ambitu maculae augentur. Latius emanantes fuscum fere et nigrum accipiunt colorem. Plerumque statim ab initio extremitates inferiores creberrimis maculis obsitae sunt. Procedente vero tempore nullus totius corporis locus purus relinquitur, modo superficie volari manus et digitorum, fovea articuli cubiti, fovea axillari, poplitea, natibusque exceptis. In summo quoque exanthematis gradu periculoque semper tamen illarum partium cutis integram suam naturam retinet. Plerumque etiam, nec tamen semper, pars capillata capitis pura est. Ad hanc morbi periodum usque maculae doloribus vacant,

aegroti vero inertia et interdum linguae et oris raucitate laborant.

Tertio anno maculae efficiunt pruritum et ardorem, cum formicarum morsibus ab aegrotis comparatos. Exanthema crescens totum corpus obsidet, nec macularum amplius retinet formam, sed sensim in tumores planos abit, aliis nullum, aliis acerbissimum atque intolerabilem pruritum efficientes. In corporis superficie hinc et illinc quasi impressiones (1) fiunt, facies intumescit et solitos vultus perdit, omnis habitus aegroti mutatur et rarissime tantum integer remanet. Glandulae (conglobatae) lymphaticae intumescunt et sub finem huius periodi magna internorum organorum imbecillitas viriumque absumtio animadvertitur.

Accedunt cum quarto anno graves membrorum, praecipue articulorum, dolores. Somnus et ciborum appetitus, qui inde ab initio morbi ad hoc stadium usque integri erant servati, nunc satis imminuuntur, saepius plane interimuntur. Hoc quoque tempore magis magisque vires conteruntur. Maculae et iam completi tumores in squamosos, versicolores et asperos nodos transeunt, totius corporis integumenta communia aspera et squamosa

(1) Falk, l. c. p. 176.

durescunt, et colorem fusco-rubrum assumunt. Glandulae iacentes sub cute faciei, nasi, extremitatum et sub lingua scirrhose indurescunt.

Quinto anno tumores erumpere incipiunt; et in pedibus praecipue maligna ulcera fiunt, foetidam saniem emittentia. Tumores exulcerati crustam squamosam, foedam et tetram efficiunt, diutius quam in ullo alio exanthemate remanentem, quae interdum hîc vel illic exsiccata molesto cum pruritu decidit. Recens vero cutis, quae omnino sana videtur, gravem adfert uredinem, quam nisi vel propriis vel aliorum rationibus commoti aegroti quiete patiuntur, sed frictionibus depellere conantur, nova hoc irritamento ulcera saepius multo peiora producuntur. Sed haud raro quoque producuntur, quantumvis aegrotus sibi temperet, neque ullam admittat frictionem; vel in novo quoque loco nova oriuntur ulcera. Si immatura adhuc crusta frictione, vel ictu aliove casu detrahitur, statim pessima atque impura ulcera, ad intima ossa penetrantia, nascuntur. Quales casus digitis manuum et pedum infestissimi sunt; multa enim extant exempla totarum phalangum ita perditarum. Ulcera vermibus esse inquinata (1) multis observationibus cognitum

(1) Murray, de vermibus in lepra obviis et de lumbricorum setis. (c. fig.) Goettingae, 1769. 8.

est; quod quidem pro sordida vivendi ratione illorum hominum non est, quod mireris. Nam levissimae ambustiones, vulnera et ulcera per se minime periculosa, crassis pannis laneis, quibus agricolarum russicorum uterque sexus pedes circumvallare solet, hisque vel nunquam vel rarissime tantum lotis, coeteraque corporis maxima negligentia, tempore praesertim aestivo, in magna et profunda ulcera degenerant, interdum tam perniciosa et corrodentia, ut omnem dimidii cruris vel surae cutem consumant. Quibus exulcerationibus quum rusticus incultus neque linteum carptum imponat, neque alia lintea circumvolvat, sed ad summum folia tussilaginis farfarae, arctii lappae, rumicis acuti, aliaque, caloris mitigandi causa, adhibeat, necesse est, ut frictione perpetua pannorum laneorum, vulnera suppurantia tangentium, malum in dies augeatur, latius emanans pernicie increscente multos per annos duret et aestatis denique tempore propter intensum illarum regionum calorem et innumeras insectorum turbas, omnibus fere ulceribus magna vermium vis accedat. Aestatis tempore vermes quoque inveniuntur in hominibus, pure ex auribus profluente laborantibus; nec non in tinea capitis scabieque maligna, praecipue vero in officinis, lanae ducendae et in pannos convertendae inservientibus, aliisque

huiuscemodi locis, ubi magna corporis colendi negligentia et remediorum abusus illa mala ad summum periculi gradum adducunt. Arsenicum album, hydrargyrum corrosivum et rubrum oxydatum, aliaque plura eiusmodi vulgaria sunt remedia, quae, negligente politia, in quoque pago nundinarum tempore palam emi vendique solent.

Sexto denique anno malum ad interiora nobilioraque organa penetrat. Malae, labia, palatum et lingua impuris ulceribus obtecta corroduntur. Cavitas nasi, oris superficies interna, fauces adeo et trachea exulcerantur. Ulceribus nares occludentibus respiratio aggravatur. Interdum huius ultimae periodi aegris capilli decidunt, pruritusque superciliorum adest. Nonnullis quoque unguium manus pedisque forma praeter naturam mutatur. Quibus ortis symptomatibus ea propter morbus mortem affert, quod tunc temporis ulcera iam interiora et ad conservandam vitam necessaria organa corripuerunt.

Annotationes universales: Multi aegroti, teterrimo hoc morbo laborantes, in ultimo adhuc mali stadio virium aliquam retinent partem.

Plurimi integro ciborum gaudent appetitu, quamvis alios iam in medio morbo deficiat.

Adesse solet alvi excretio dura, crebris

ructibus et flatibus comitata; quae quidem posteriora symptomata ad morbi naturam minus debent referri, quippe quae ceparum, raphanorum et armoraciarum solito usu producuntur.

Crescentibus morbi symptomatibus, augentur quoque dolores magnopere, quamquam interdum tolerabiles maneant.

Urinae excretio semper sine doloribus. Urina ipsa rubra copiosum habet sedimentum.

In aliis cutis exhalatio libera, in aliis impedita. Multorum denique transpiratio odorem habet cadaverosum et hircinum.

Ceterae corporis functiones ad ultimam morbi periodum integrae.

Nonnulli laborant cephalalgia, nariumque haemorrhagia, quae quidem non crisis habenda est, sed sanguinis corrupti et scorbuti, iam aegrotum aggressi, signum.

Aliis accedunt artuum dolores, praecipue aëris conditione et coeli tempestate sese mutante.

Aliis os siccum, anima foetida, tussis sicca, vox rauca.

Pulsus plerumque mollis et celer, praecipue vespertinis horis et prima nocte. Sanguis in prioribus morbi stadiis detractus colore est rubro, flaccidiori et crassus (1).

---

(1) Pallas, l. c. p. 415.

Rarissime hectica febris observatur.

Crises: Verae huius morbi crises nunquam observatae sunt. Praeterea malum morbus localis esse et per totum decursum manere videtur; nisi vero aliis complicetur morbis in universum corpus agentibus, quod in ultimo demum stadio accidit.

Discrimen inter morbum crimensem et alios: Similis est lepra taurica, ut iam supra commemoratum, leprae norvegicae et morbo cayennensi. Sed ne iusto simus longiores, nec transgrediamur huius libelli fines, ad eos provocamus sciptores, qui de morbis hisce explanatius disseruere. De lepra norvegica (*Radesyge, Skemsygen, Stygsygen, Spedalskhed; Morbus atrox s. foedus, s. nosocomius; nordischer Aussatz, Salzfluss*) Arbo (1), Büchner (2), Hempel (3), Hensler (4), Mangor (5), Mühlert (6), Munk (7),

---

(1) Afhandling om Radesygen eller Saltflod. Kiovenhavn, 1792.

(2) Nachricht *von der Spedalskhed im Bergenstift. Bergen*, 1786.

(3) Nachricht *von der Spedalskhed im Bergenstifte. Rendsburg*, 1790.

(4) Vom *abendländischen Aussatze in Mittelalter, nebst einigen Beiträgen zur Kenntniss und Geschichte des Aussatzes. Hamburg*, 1790.

(5) Unterretning om Radesygens Kiendelege, Aarsager og Helbredesce. Kiovenhavn, 1793.

(6) Bitrag til oplysning om Radesygen natur. Kiovenhavn, 1799.

(7) Vid. Tode *medic. chirurg. Journal V. Bb.* 1. *St. p.* 62.

Pfefferkorn (1) et Vogt (2). Et de morbo cayennensi (*Morbus ruber, Mal rouge de Cayenne, Cayennischer Aussatz*) Bajon (3), Forster (4), Sprengel (5).

Quae quidem enarratio leprae tauricae omnia continet symptomata eorumque consuetum ordinem, quo in plerisque aegrotis deinceps sequentia animadvertuntur. Sed ut in plerisque accidit morbis, ita et hîc. Nam in singulis aegrotis vel non omnia illa symptomata adsunt, vel varius est periculi gradus pro aliorum morborum complicatione et pro corporis constitutione. Et si respicias decursum, modo citius modo tardius incedunt symptomata pro robore vel imbecillitate corporis aegroti. Fit quoque ut symptomata ulteriorum periodorum iam ab initio existant morbi, et vice versa symptomata priorum stadiorum; quod etiam pendet a morbi complicatione.

Quae quidem omnia medendi rationem non mutant. Symptomata enim semper eadem modo longioribus modo brevioribus temporis spatiis continentur.

---

(1) Ueber *die norwegische Radesyge und Spedalskhed. Altona*, 1797.

(2) Observationes in exanthema arcticum, vulgo *Radesyge* dictum. Gryphiae, 1811.

(3) Histoire de Cayenne.

(4) Observations made during a voyage round the World, p. 485.

(5) Handbuch *der Pathologie*. III. Voll. Halle, 1797.—III. p. 520.

Complicationes: Praecipui morbi lepram tauricam comitantes sunt:

1 Impetiginis species, quae iam ab initio una cum caeruleis maculis existit.

2 Psora sicca, saepe morbum crimensem antecedens et tempore insequente mox evanescens, mox rediens.

3 Scorbutus; quae quidem complicatio saepissime animadvertitur. Vehemens affectio scorbutica oris, maculae rubrae scorbuticae et extremitatum dolores non inanem praebent coniecturam, lepram tauricam fortasse nihil esse aliud, nisi summum scorbuti gradum.

4 Haemorrhagiae, quae saepius morbum ipsum antecedunt, e. g. varices, haemorrhoides, haemoptysis, haemorrhagia narium etc. procedente tempore vel silent, vel manent, vel periodice evanescunt revertunturque.

5 Rheumatismus, quem pro tempestatis vicibus augeri et removeri supra iam diximus.

6 Febres intermittentes regulares et irregulares, quae inepte curatae obstructiones abdominales relinquunt.

7 Febris hectica, quae raro tantum in malignis morbi Crimensis formis et ultima periodo accedit.

8 Tussis, asthma et aggravata respiratio,

quae omnia solent nasci materia morbi in pulmones coniecta, quemque statum nares clausae adaugent.

9 Vermes intestinales omnium generum haud minus crebro hunc morbum concomitari solent.

10 Vermes in vulneribus profundis, ulceribus et crustis inventi, non ad morbi ipsius vim pertinent, sed phaenomenon sunt fortuitum, operam chirurgicam expostulans.

Quorum phaenomenorum hîc enumeratorum in multis aegrotis pleraque, in aliis plurima concurrunt; quo vero plura, hoc fere maius inde prodit periculum, et hoc tristior fere exitus morbi sequatur necesse est.

Causae: Praecipuae ad hunc morbum praedisponentes causae sunt misera noxiaque diaeta; pisces, consuetum illarum regionum nutrimentum, multaque alia nutrimenta cruda salsaque, inter quae praesertim caro porcina et vervecina mensibus aestivis continuo consumuntur ab agrestibus. Nam cum illic nulla sit carnis venditio publica, sua quaeque familia pecora mactat, e. g. sues, porcellos, verveces, capras, caprosque et aves, aliaque; quae omnia ea causa aptius in usum revocantur, quam grandiora animalia domestica, ut boves, vaccae etc. quia horum nimia carnis quantitas

non satis diu a calore aestivo potest defendi, quin in putredinem abeat.

Aliae hujus morbi sunt causae penuria ciborum vegetabilium, abstinentia a potulentis spirituosis (1), a vino adusto et cerevisia, et rara corporis exercitatio. Deinde magnae et multae sordes, immundaque vestimenta lanea, per hyemem et aestatem usitatissima, nec satis cum puris commutata. Domicilia humida, in quorum imo conclavi plures familiae habitant, accedente adhuc omni animalium domesticorum grege, constante e vaccis, vitulis, suibus, porcellis, ovibus, capris, gallinis, anatibus, anseribus, aliisque; ita, ut conclave, cubiculum, culina, cella et stabulum uno eodemque pariete sint conclusa. Satis praeterea notum est, agricolarum russicorum fornaces nulla habere fumaria, fumumque crassum in intimam domum retropelli et per fenestras aliasque aperturas efferri; quo fit, ut homines talia domicilia cum crassa fuligine obtecta incolentes, praesertim hyemali tempore tanquam fumigati videantur, qui fumus quam maxime aegrotos hoc exanthemate laborantes turbat transpirationemque cutaneam impedit. Denique materia glutinosa et acris, sedem habens

(1) Gmelin l. c.

in ipsa cute, non vero in panniculo adiposo (1) et universalis sanguinis humorumque secretorum perversitas in causis enumeranda sunt.

Prognosis: Haec quidem eo pejor est, quo inveteratius est malum, quo plures iam invasit partes, quoque malignius et vel per se vel aliis morbis complicatis est.

Priora stadia, periti medici medela, apta diaeta, ceteraeque idoneae curationes et tractationes, semper fere certissimam praebent spem salutis. Modo in ultimo stadio, ubi morbus, omnibus humoribus corruptis, iam interiora et nobiliora organa est aggressus, rarissima aegroti conservatio et exitus fere semper funestus.

Saepe etiam recidivus morbus observatur, quod quidem tum fit, cum vel curatio medica non plane est absoluta, vel accedentes morbi neglecti sunt, vel pro aliis habiti, vel a reconvalescentibus gravia diaetae vitia sunt commissa.

Medela: Varius est modus medendi pro natura et constitutione corporis aegroti et pro aliis morbis complicatis; qui quidem, ubi tempus non urget, tollendi sunt prius

(1) Güldenstädt, l. c.

quam morbus ipse; contra vero, ubi nulla temporis iactura admittenda est, utriusque indicationis remedia coniungenda sunt.

Primum omnium curandum est, ut primae viae purae sint, quarum cruditates semper adesse solent et morbum adaugere. Quem in finem eligenda sunt remedia leniter resolventia, quorum usus aliquamdiu potest continuari; in quibus iterum primum tenent locum resolventia evacuantia acida, e. g. tartarus depuratus, tamarindi, roob sambuci etc. coniungenda cum maiori minorive dosi tartari stibiati. Hisce addantur procedente tempore remedia, quae ad tollendas complicationes valent. Impetigo e. g. ubi simul adest, dentur antimonialia; ubi psora, sulphur pro interno et externo usu ac reliqua antipsorica remedia; ubi scorbutus, omnia antiscorbutica medicamina, et sic porro.

Quod si vero medicus relationem causalem symptomatum non statim perspicit, omnia ea inserviunt remedia, quae pro singulari effectu diaphoretica sunt, diuretica, resolventia et involventia, quorumque utilitas facile ex illis effectibus potest derivari, nulla specifica expositione admissa.

Paucissimus est in illis regionibus, ut omnino in latissimo russico imperio, numerus medicorum peritorum et philosophica

eruditione instructorum. Peritiores vero medici multis ex causis, quas hîc exponere non est locus, praeferant vitam degere potius in metropoli utraque totius regni, quam in provinciarum vel singulorum imperii circulorum oppidis. Et quamvis sint, qui periti et satis docti medici in remotioribus Russiae provinciis vivant, tamen exiguus tantum eorum numerus et intra paucorum modo milliariorum spatium conclusa est eorum efficacia.

Praeterea si bonus medicus illorum hominum callet linguam, satis gnarus est morum nationis, simulque scit populi fiduciam sibi conciliare; idem ille quoque innumera ibidem conferet in homines beneficia, et, ut ita dicam, per medicinae et virtutis opera quasi Deum inter homines sese praestabit. Agrestium illorum hominum natura, nondum corrupta, nullis medicamentis adsuevit. Quo fit, ut medicamenta, non sine bona ratione talibus aegrotis data, optimos habeant et maxime speratos effectus, ita ut interdum mirum adeo nobis videatur. Sed ad singula transeundum est remedia.

Antimonialia: Haec semper bono cum successu praebentur aegroto, tam in plena, ut sint evacuantia, quam in refracta dosi, ut digestiva, diuretica et diaphoretica. Inprimis vero ex hac remediorum classe adhibenda

sunt sulphur antimonii auratum et tartarus antimoniatus.

Terra ponderosa salita: Hoc notissimum cuique fere est remedium, his recentioribus temporibus commendatum (1), quod et resolvendo et stimulando agit, et praecipuum se nobis sistit anthelminthicum.

Arsenicum: Probatissimum est hoc remedium (2), summa iniuria a multis quidem vituperatum, semper tamen medici votis obtemperans, nec unquam, si accurate ac diligenter observaveris doses, ne imbecillioribus quidem corporibus noxium. Dosis est pars decima sexta grani unius, bis vel ter per diem; qua quidem ratione maxima cum securitate eo utimur, secundum Fowleri praeceptum.

Acida mineralia: Haec praecipue antiscorbutice agunt. Acidum sulphuricum (3), acidum nitricum (4) et acidum muriaticum, vel solum

---

(1) Althof, diss. de terra ponderosa salita. Gottingae, 1795. — Hufeland, *vollständige Darstellung der Kräfte und Anwendung der salzsauren Schwer erde in Krankheiten. Berlin*, 1794.

(2) Matius, de elephantiasi arsenico curata. Regiomonti, 1803. — Usteri, *Repertorium der medicinischen Litteratur*. 1791. p. 149.

(3) Thilenius, *medicinische und chirurgische Bemerkungen. Frankfurt a. M.* 1789. p. 230.

(4) Chisholm in *Duncan's* annals of medicine for the year 1800. V. Bd. Sect. 2.

quodque, vel cum remediis antiscorbuticis coniunctum, e. g. cum spiritu cochleariae (1).

Camphora: Haec effectu diaphoretico et diuretico sese commendat, nulla praeterea specifica virtute gaudens. Si externis adhibeas partibus, tanquam bonum sese exhibet remedium purificans.

Potassa pura: Interne resolvens, externe purificans est remedium (2), semper in solutione adhibendum.

Hepar sulphuris: Huius cum interna, propter actionem diaphoreticam, tum externa, in lotionis vel balnei forma, applicatio est commendanda.

Remedia amara: In universali virium prostratione, cum complicato insuper febrium intermittentium morbo, maximam utilitatem afferunt remedia amara. Cortex peruvianus (3), hippocastani, salicis etc. radix gentianae, polygalae etc., lignum quassiae, herba trifolii fibrini, aliaque. In quibus autem adhibendis semper curabis, ut alvus sit libera. Extracta amara cum salibus mediis haud inepte componuntur.

---

(1) Mangor, l. c.
(2) Willan, l. c.
(3) Hillary, l. c.

Haud raro sola remedia antiscorbutica valent ad morbum compescendum. Magni emolumenti est continuus usus decocti vel potius infusi malti (1), decocti turionum pini, ligni guajaci (2), ligni sassafras, stipitum dulcamarae (3), radicis rubiae tinctorum, saponariae, sarsaeparillae, caricis arenariae, lapathi acuti, bardanaeque, herbae iaceae, farfarae, baccarum iuniperi etc. Nec non lactis (4) et seri lactis (5) usus; deinde succi herbarum expressi e. g. cochleariae (6), fumariae, cichorii, trifolii fibrini, rumicis acetosae, oxalidum etc. Praecipue acetaria ex herbis antiscorbuticis confecta, et duo in omni natione russica vulgares cibi; olus acidum crudum et cucumeres tum recentes, tum saliti; tum aceto impositi, tum denique succus eorum expressus vescendus.

In regionibus fluminum Jaik et Terek, caspiique maris, magnus est *Anabaseos aphyllae*

---

(1) ℞. Malti hordeacei lib. j. infundatur in aquae ebullientis lib. iij. ad lib. jv. Mixta bene agitentur et per aliquot horas tecta reponantur, colenturque. D. Sign. Per diem sumendum.

(2) Sennert, Lib. V. P. I. p. 28.

(3) Catchyon apud *Willan*, l. c.

(4) Güldenstädt, l. c.

(5) Rhazes laudat eum.

(6) Marcellus, de medicamentis c. 9. — *Willan*. l. c. p. 109.

tamquam remedii specifici rumor. Qua vero laude nullo modo dignum est hoc remedium, propterea quod semper absque prospero eventu adhibeatur. Ad summum salium causa, quae ei insunt, purgans virtus laudari possit, quamvis, ut hunc consequamur finem, nobis multo fortiora praesto sint remedia.

Canthandes (1) et *Helleborus* (2) remedia a nonnullis commendata, tanquam inutilia aliis multo securioribus cedunt. Illae enim propter universalem diureticorum indicationem in usum vocatae, iusto acrius agunt et cum summa quamvis adhibita diligentia facile mictum cruentum aliave perniciosa phaenomena adducunt; hic vero nimiae acritatis causa reponendus, eoque facilius, quo maior aliorum huiuscemodi remediorum nobis est abundantia. Solum fortasse extractum licet adhibere (3). Equidem vero nunquam in hunc finem hoc remedio usus quicquam de eius efficacia dicere ausim.

---

(1) MEAD cantharidum laudat usum.

(2) ORIBASIUS, medicin. collectan. L. VII. et VIII.

(3) HALLER, collectio disputationum practicarum ad morborum historiam et curationem. VII. Voll. Lausannae, 1757-1760. — VI. p. 83.

Cicutae (1) usus tam internus, quam externus, quamquam laudatus, rarissime tamen approbatus. Pari modo commendatum est decoctum ledi palustris (2), quod vero aeque inutile est.

Mercurialia: Quamquam haec multis (3) placuerunt, tamen plerumque noxia sunt. Necessario enim sequitur salivatio, adeoque materia morbosa convertitur in os; eiusque proximas partes; praeterea nimia iam adest humorum dissolutio, quia lepra taurica, ut iam supra commemoravi, semper maiori minorive gradu scorbuticum habet characterem.

Omnino hic videtur esse locus, cui nonnulla inseramus verba de errore multorum, quem unus ab altero temere traditum divulgat: »in Russia tam crebram esse luem veneream, ut saepius totos vicos, imo totas plagas vehementissimis huius morbi formis infectas reperias.«

---

(1) *Quarin*, tentamen de cicuta. Vindobonae, 1761. c. 9. et 10.

(2) Linné, diss. de ledo palustri. Upsaliae, 1775. — Odhelius, in actis suecicis. Vol. XXXIV. et XXXIX. — Amoenit. academ. Vol. VIII. p. 285. — *Neue Abhandl. d. schwed. Academie.* Vol. IV.

(3) Falconer, l. c. p. 375. — Hillary, l. c. p. 329. — Pears, London medical review and magazin. Vol. VI. p. 64.

Sed vere et ingenue non solum testor, hanc opinionem plane falsam esse, sed contra quoque audeo affirmare, in nullo regno rariorem inveniri syphilitidem, quam in russico; eiusque, sicubi reperiatur, characterem et symptomata multo esse mitiora, quam in maioribus aliorum regnorum urbibus, quarum nosocomia multa et quotidiana praebent exempla.

Apud Russos enim, quum nulla adsit difficultas, quominus obsequantur appetitui naturali, iuventus quoque illi malo non est obnoxia; et si qua syphilitica accidit infectio, levis est. Latius explanare de hac re sermonem extra consilium huius libelli esset. Id solum adhuc et quasi in transcursu moneo, illud vitium, obscure serpens atque in omnibus fere aliarum civitatum maioribus lyceis et institutis pro educanda iuventute latens, manustuprationem dico, nunquam fere apud russicos iuvenes inveniri, ex iisdem supra dictis causis. Pari modo propter egregie instituta infantum expositorum hospitia et orphanotrophea, in Russia infanticidium est crimen inauditum.

Duodecim equidem annos in imperio russico commoratus, non solum per dimidiam huius temporis partem in utraque urbe capitali vixi, omniumque ibidem egregiorum nosocomiorum aliorumque institutorum publicorum,

cuiuscunque generis; cognovi rationem; sed etiam in multis itineribus per quatuordecim imperii russici provincias, tum europaeas tum asiaticas, factis creberrimas habui occasiones instituendarum observationum cum practico-medicarum tum historico-naturalium: quibus omnibus confirmatur sententia mea supra allata.

Versatus equidem inde ab anno 1811 in officio et munere illustrissimi comitis Alexii Cyrillidis a Rasumowsky, eruditionis publicae in imperio russico ministri, in cuius magnis praediis, sitis in duabus imperii provinciis *Pensa* et *Saratow*, proximos abhinc annos peregi, ibidemque in quadraginta et amplius pagis viginti quinque millia hominum tanquam protomedicus curae meae habui concreditos. In duobus ibidem nosocomiis, a reliqua mea satis frequenti praxi medica si discesseris, in circulis quoque *Tschembar* et *Kerensk*, ubi deficientium publicorum medicorum vices mihi erant traditae, data mihi erat occasio, curam habendi quotannis quinque ad sex millium cuiusque generis aegrotorum, in quibus vix viginti fuere syphilitici, quem numerum, si conferas eum eo aliarum civitatum, haud dubie minimum dixeris. Et hi pauci raro erant agrestes, sed plerumque nobilioris populorum classis homines. Quae omnia libelli diurni

(ephemerides), quos de morbis curandis in usum meum scripsi, vera esse testabuntur.

Praeterea nemo infitias ibit, magnum illum pseudo-medicorum numerum, qui in rure et in ipsis oppidis rem suam habent, permultorum miserorum aegrotorum mederi morbis syphiliticis, quamquam plane aliis morbis laborantium. E. g. levissimam anginam, quae paucis horis cuique perito medico gargarismatibus utenti cessisset, carnifices illi (hoc dignum ipsorum nomen) vel ex pessima ignorantia, vel ex lucro, vel adeo malitia commoti, curant ita, ut multos per menses crudelissima ratione excrucietur miser aegrotus et mutilatus denique sit discessurus, nisi sors fausta eum servaverit. Dentium et uvulae iactura, ossa nasalia destructa, artus incurvati, asthma et digestio in omnem vitam pessumdata etc., quorum omnium conspectum praebent viventium exempla, non syphilitidis, sed illorum medicastrorum indomitum furorem testantur. Quo certe factum est, ut Russia in turpem illum inciderit rumorem.

In interioribus Russiae latissimae provinciis, ubi iam supra magnam esse peritorum medicorum penuriam diximus, haud exiguus idiotarum numerus Hygeae sese sacerdotes creat, et, ut fit, multo maioris a plebe existimatur, quam optimus quisque medicus doctrina et peritia eruditus. Cui, gratis quoque operam praebenti,

tamen illos pseudo-medicos praefert rusticus, magnam insuper pecuniae vim impendens. Apte igitur huc refertur illud Ovidianum:

Fingit se medicum quivis idiota, sacerdos,
Iudaeus, monachus, histrio, rasor, anus,
Miles, mercator, cerdo, nutrix et arator,
Vult medicas vanus quivis habere manus!

Multa leviora mala, artuum doloribus, seu similibus sese prodentia symptomatibus, ab istis pseudo-medicis syphilitica enunciantur, eademque via et ratione curantur. Qualia sunt praecipue angina, rheumatismus, arthritis, scorbutus, scabies, febris adeo intermittens larvata, et sic porro.

Suffumigatio cinnabarina apud Russos usitatissima est, a qua praecipue plebs omnium morborum medelam exspectat. Subtiliorem medicamina adhibendi methodum, qua doses vigesimae partis grani unius ad quartam usque dantur, isti homines medici plane ignorantes subtiliores sese iam putant, cum ordinaverint scrupulum vel semidrachmam. Plerumque vero ne his quidem contenti sunt dosibus, haud immemores illius proverbii, quod « *multa efficere quoque multa et superflua non nocere* » docet. Quae omnia aeque de internis ac de externis eorum valent remediis.

Multi istorum medicorum in domiciliis suis apparatum habent peculiarem pro ipsorum desperata medendi methodo instructum. Multi autem in hunc finem balneis vaporariis usitatis utuntur, in quibus aegrotorum haecce est tractatio.

Detractis omnibus vestibus, corpus nudum maximo sudatorii, hoc consilio intense calefacti, calori exponitur. Quam primum omne corpus sudore diffluit et colore coctum aequiparat cancrum, iussusque aegrotus, linteo panno magno obtectus, ne amittatur quicquam effectus, consideat supra vas candentibus impletum carbonibus; ecce incipit suffitus terribilis cinnabaris, cuius complures drachmas vel solas, vel variis herbis admixtas, e. g. hyoscyamo, aliisque, carbonibus superiniiciunt. Mercurii magna quantitas a poris, intenso calore apertis, seduloque resorbentibus recepta vehementem producit salivationem, quae interdum, iteratis cinnabarinis suffitionibus, vel nimio hydrargyri corrosivi, aliorumque mercurialium interno usu, plures per hebdomades continuatur.

Maiori etiam cruciatui is obnoxius est, qui se totum et curationi talis medicastri absolute submisit. Includitur infelix plures per horas, imo per dies, in parvum conclave, cuius in suprema parte sola minimaque conspicitur fenestella, aegroto nullo modo aperienda.

Quo facto fornaci immensa ignis vis immittitur. Simul aegrotus rara paucaque accipit nutrimenta, potusque denegatur omnis, excepta recreatione cardiaca e hydrargyro corrosivo et cremato communi. Tales aegrotos non furentes fieri mirandum est: nam nullae preces nullaeque obsecrationes cruciatores illos movent, neque ulla vis cellam tormentuosam prius aperit, quam tempus curationis pecuinae praeterlapsum est.

Miseri, quos in hanc fatalem curationem detrusit sors, nimiam solent luere poenam temeritatis, qua fidem istis habuerunt medicis. Vehementissima salivatio, interdum digestio in omne tempus laesa, iactura dentium, uvulae et nasi, foetor oris, asthma, colica, tabes, amentia, nec raro subita anxiaque mors horribilem illam tractationem sequuntur.

In thermis publicis sudatoriis russicis, quibus promiscue omnis aetatis et sexus homines utuntur, fieri solet, ut in medio calore et sudore aufugiant, hyemali aeque atque aestivo tempore, ad flumen, cuius causa sudatorium quam proxime est aedificatum, nudaque iniiciant corpora in frigidas undas, seu circumvolvant per nives, deinde recurrant in aedes, eamque voluptatem quotiescunque lubet, repetant.

Quae vivendi ratio duris illorum hominum corporibus, iam a teneris sic adsuetis, quibus

unum saltem per hebdomadem balneum necessarium est, nil nocet, contra vero indurat ad ferendam quamcunque tempestatem. Sed exempla mihi quoque nota sunt aegrotorum, consueto more e vaporario cinnabarino in nivem aut fluvium iniectorum, quorum horrifica inde mors secuta est.

Quisque peregrinorum in imperio russico habitans certe institutiones politiae medicae huius regni egregias confitebitur. Eo magis igitur sperandum, fore ut exsecutores illarum institutionum, praecipue in oppidis et pagis, salutem civium diligentius curantes maxima severitate illos prohibeant abusus, quibus quotannis multorum civium sanitas infringitur, ita, ut suae quisque proli in plures noceat generationes.

Primum omnium igitur petulans ac publica in tabernis atque officinis venditio cinnabaris, calomelanos, hydrargyri rubri, arsenici, aliorumque venerorum, sicut quoque vegetabilium heroicorum, drasticorum, severissime interdicatur; ac homines, nullo curandi privilegio praediti, et medicinam exercentes, maxima severitate puniantur.

Sed redeo ad propositum. Lector benevole sermonem hunc accipiat rogo, quem hac de causa, a tramite digressus, paulo institui diductiorem, quod et in illis regionibus, ubi

lepra taurica dominatur, in ipso hoc morbo curando hydrargyrum adhibetur, quod non solum nil iuvat, sed summum insuper malignitatis gradum adducit.

Remedia externa: In iis regionibus, ubi maximus est morbi Crimensis furor, praecipuum remedium laudatur lac equinum tepidum (1) in balneis saepe iteratis adhibitum. Sed quae huic remedio cunque insint virtutes, tamen pretiosius est, quam quo multi possint uti.

Multo efficaciores, aptiores, imo fere specifici sunt saluberrimi Caucasi fontes, inde a nonnullis demum annis maxima hominum frequentia ac laude ornati, praeterea proxime illis regionibus adiacentes. Usui interno fontes aciduli, externo fontes sulphurici calidi inserviunt.

Et usus quoque balnei marini, tum in ipso mari, tum in aqua e mari sumta et in domicilio praeparata, optimum adfert effectum. Quandoquidem aqua marina etiam propinquior est, quam fontes Caucasi, incolis regionum Astrachanensium, lepra chersonesa prae aliis laborantibus, egregium vel hinc collaudamus eius effectum (2).

---

(1) Falk, l. c.

(2) Russel, de aquae marinae usu, p. 37.

Deficientibus maritimis, adhibeantur balnea tepida saponacea et sulphurica (1) bâlneaque ex malto frumentario, ex herbis resolventibus et aromaticis (2) parata, omnia unà cum internis coniuncta remediis, prohibentibus iis, ne perniciosa metastasis intus vertatur.

Balneorum applicatio consilio meo nunquam non respondet. Urgente periculo, ceterisque deficientibus balneis, iam sola aqua tepida iuvat.

Praecipue vero necesse est, ut cutis munditiei aegrotus semper itemque linteorum et vestimentorum sit studiosus. Cuius rei magna multaque cura in illis regionibus non est superflua.

Haud minus iuvant frictiones cuti leniter applicatae. Necessaria exhalatio cutanea et urinae secretio remediis antimonialibus, supra iam commendatis, efficitur.

Vulneribus, ulceribus et duris crustis chirurgia medebitur. Pro re nata tunc adhiberi possunt tepidi vapores, fomentationes, cataplasmata lenientia et emollientia, e. g. ex althaea, malva, semine lini etc. nec non linimenta, unguenta, axungia porcina, butyrum recens confectum, nec non cremor qui

---

(1) Falconer, l. c. Willan, l. c.
(2) Scultet, armament. chirurg. obs. 97. p. 309.

acuit, porro decoctum et unguentum nicotianae.

Laudantur etiam variae lotiones, e. g. lotio decocti veratri albi (1), aluminis in aqua soluti, solutionis kali puri, solutionis salis ammoniaci, aquae calcis vivae, aquae phagedaenicae, hepatis sulphuris, et nonnunquam aquae saturninae.

Lotiones olei petrae et olei terebinthinae singulis aegrotis profuisse feruntur (2).

Ulceribus nasi, palati et faucium penicillo obliniendum est mel rosatum et tintura myrrhae.

Diaeta: Iusculum carnis et quivis cibus bene nutriens. Permultum prosunt cibi vegetabiles aciduli et antiscorbutici, tum cocti, tum crudi, quo pertinent etiam poma recentia. Daucum sativum commendat Aretaeus (3).

Noxii sunt omnes cibi pingues, oleosi, tenaces, acres, salsi et aromatici, quorum alteri digestionem aggravant, alteri sanguinem fervefaciunt.

Atque haec fere sunt, quae mihi dicenda erant de morbi istius discrimine, indole et

(1) ℞. Radicis veratri albi contusae unc. ij. coquantur cum aquae communis lib. iij ad colaturam lib. ij. d. sign. pro lavatione.

(2) Pallas, l. c. p. 415.

(3) De causis et signis acutorum et diuturnorum morborum. c. 2.

medela. Utinam vero pauca licet haec, sed serio et bona voluntate scripta, conferant aliquid ad rei medicae utilitatem et usum. Haud dubie sunt in iis nonnulla, quae aut penitius segregari, aut melius constitui, aut acrius examinari possint; quod, si quis alius, certe ego imprimis sentio. Quare rogo viros eruditos, ut commentationem hanc meam academicam ita et legant et diiudicent, ut a me conscripta et eorum lectioni et iudicio proposita est. Est vero conscripta, non ad doctrinae ostentationem vanam, neque rerum novandarum cupidine dira; sed eo unice consilio, ut viris doctis, harum rerum peritis, studium meum et meos labores, in scientia medica addiscenda consumtos, honeste et humane commendarem.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA

DE

PLICAE POLONICAE IN VARIAS, PRAETER PILOS, CORPORIS HUMANI PARTES VI ET EFFECTU

QUAM

IN CAESAREA LITTERARUM UNIVERSITATE VILNENSI

PRO

GRADU DOCTORIS MEDICINAE RITE OBTINENDO

PUBLICE DEFENDIT AUCTOR

CAROLUS KACZKOWSKI

VOLHYNIENSIS.

Si e pyxide Pandorae alius nullus evolasset morbus praeter plicam, malorum quae genus humanum infestarent satis superque haberemus. Quum enim aliarum aegritudinum maxima pars non nisi *unum* corporis nostri systema vel *unum* eius organon aggrediantur; morbus plicosus hoc sibi cum paucis aliis proprium habet, ut nulli machinae humanae loco parcat. Cuius sententiae rationem, ut idoneis argumentis factisque probem, in dissertatione hac inaugurali periculum facere mecum constitui. Nec incepti gravitas me latet, quam iam inde cognosci licet, quod non cuncta phaenomena quae in aegrotis plica laborantibus obveniunt, pro vere plicosis haberi fas sit. Constat enim morbum plicosum cum plurimis aliis copulatum esse, quod dum accidit, perdifficile saepe est, symptomata implicata ita discernere, ut suum cuique morbo tribuatur: quandoquidem id solum symptoma pro *plicoso* vere

haberi potest, quod morbi huius quasi socium et comitem crebro se prodit, quodque cum reliquis certioribus plicae signis notisque quodammodo cohaeret. An symptomata de quibus, varia corporis humani systemata atque organa perpendens, acturus sum, huius sint generis, vestri Illustres Professores erit iudicii; quod qualecumque tandem fuerit, spero id saltem vos haud improbaturos esse, discipulum vestrum gratissimi in Vos animi sensu et affectu commotum, morbum in patria sua endemicum commentationis singularis materiam et argumentum sibi elegisse; verborum quippe Magistri nunquam sibi satis colendi memorem: « Je ne cesse d'inculquer à mes éléves que chaque état a sa manière propre de manifester son patriotisme, et que celui du médecin doit se montrer par un entier dévouement à secourir sans distinction toutes les classes des citoyens, ainsi qu'à bien étudier les maladies regnantes dans le pays où il exerce sa profession: devoir qui devient encore plus sacré pour lui, quand parmi ces maladies il s'en trouve d'exclusivement propres à ce pays (1). »

---

(1) Joseph Frank mémoire sur l'origine et la nature de la plique polonaise. Vilna 1814.

Ossa plica laborantium doloribus multum vexari, tot fere docent exempla, quot exstant plicosi, et iam animandvertit Stabelius (1). In Clinico nostro Chirurgico iacet vir plicosus annos quinque et viginti natus, cuius omnia ossa a tenerrima inde aetate acerrimo distrahuntur dolore; cuius tibiae etiam utraeque et olecranon dextrum hyperostosi tenentur, manuum insuper digiti in articulationibus nodosi reperiuntur, ungues autem arcuati crassitie informes sunt. Omnino in plicosis exostoses capitis, scapularum, brachiorum, antibrachiorum, costarum, femorum, tibiarum, persaepe inveniri constat (2). Etiam spinae ventosae plicosis infensae exempla innotuere (3). Vidimus ipsi in Clinico Chirurgico plicosum omarthrocace exulcerata laborantem. Cariosa et necrotica ossa, abscessuum apertura haud raro prodire plures monuerunt (4). Nec osteosarcoseos

---

(1) Disser. singulares observationes de plica polonica. Hal 1724. hist. 1.

(2) Perzyna Lekarz dla włoscian czyli rada dla pospólstwa. w Kliszu. 1795. p. 20.

(3) Stabel l. c. hist. I et II.

(4) Vicat memoire sur la plique polonaise. Lausan. 1775. p. 29. Perzyna l. c. p. 12. De la Fontaine Chirurgisch-Medizinische Abhandlungen verschiedenen Inhalts Polen betreffend,

desunt exempla (1). In iuvene Judaeo excrescentiam fungosam osteosarcosi similem, amputato brachio, tumore encephaloide destructo, ex trunco ossis humeri relicto prodeuntem, eamque quamvis abscissam vel causticis exesam iterum exsurgere, vidimus. Membrorum autem detruncatorum et tumore encephaloide in plicosis distentorum conspectus manifeste nos docuit, ossa plane consumi, inque massam fere cerebriformem transmutari. Cuius generis observationes tamen nequaquam pro novis habendae sunt, quum deformatio ossium in plica dudum nota fuerit, monente iam LAURENTIO STARNIGELIO: « Infringit (plica) ossa, laxat artus, vertebras eorum infestat, membra conglobat ac retorquet, gibbos efficit » (2): et A GEHEMA: « Retorquentur membra, conglobantur concatenatae vertebrae, totusque homo a tam superba structura, in monstrum transmutatur gibberosum » (3). — Quodsi non omnes de plica scriptores, ossium in morbo hoc

---

Breslau und Leipzig. 1792. Siebenzehnte Beobachtung. CZMOMY Neueste Ansicht des Weichselzopfes in seiner Grundursache. Freiberg. Versio illius polonica. Cracoviae. 1809. p. 26.

(1) PERZYNA l. c. p. 19.

(2) In litteris suis ad Medicos Patavinos datis et insertis in HERCULIS SAXONIAE libro De plica quam Poloni *Gwozdziec*, Roxolani *Koltunum* vocant. Patavi. 1600.

(3) De morbo vulgo dicto Polonica Plica. Hamb. 1683.

corruptionem testantur, errori id tribuendum, videtur, quo inducti mala haec a lue venerea derivare maluerint. Quin etiam notum est, morbum plicosum omnino pro venereo habitum fuisse a LUCIO LAELIO FULGINATE (1), EUSTACHIO RUDIO (2), WOLFFRAMIO (3), LARREIO (4), BOYERO (5). Enim vero iam HERCULES SAXONIA (6) id agit, ut discrimen inter morbum Gallicum et plicam accuratius monstraret. Neque aliud libri ab ANDREA A GRAFENBERG (7), LAELII FULGINATIS aequali, conscripti consilium fuit; nisi hoc, ut in septem morborum in Poloniam iter facientium dialogo, plicam non pro venerea lue habendam esse ostenderet. Quam quidem opinionem, diuturna auctorum complurium observatio confirmavit, quamque nos etiam quotidiana experientia, tum ex horum morborum

---

(1) De Sarmatica lue consultatio. Ferrar. 1600. 4.

(2) De morbo Gallico. Venet. 1604.

(3) Versuch über die höchst wahrscheinliche Ursache und Entstehung des Weichselzopfs, nebst einer sichern Heilung desselben. Breslau. 1804.

(4) Bulletin des sciences médicales par la société medicale. à Paris. 1808. Fevrier.

(5) Journal de médecine continué. Vol. 15. p. 352.

(6) L. c. Praefatio.

(7) Septem morborum ad Sarmatas dialogus, in quo novae luis Pokutiensis, quam cirrhorum morbum vocant, natura et essentia examinantur. Vicetiae. 1600. 4. (ALBERT HALLER Bibliotheca medicinae practicae. V. 11.)

natura tum ex eorum cura edocti, tuemur. Mercurium enim plicosus non ferre scimus; eiusque vel mitissima praeparata cito corpus tentare, omniaque plicae symptomata recrudescere, observavimus. Ita in femina plicosa, quae pulveris antispasmodici rubri Stahlii, cinabarem factitiam continentis, duas vix assumserat drachmas, gingivas ceterum optime constitutas vidimus statim intumescere et sanguinem fundere. Frequentissima vero luis venereae cum plica, maxime inter agrestes, est complicatio; id quod erroneae opinioni, quasi plica malum sit venereum, ansam dedisse verisimile fit.

Cartilagines, tendines, musculi, ligamenta, aponevroses, periosteum.

Cartilagines, tendines, musculos, ligamenta, aponevroses, periosteum, a plica variis affici modis, dolores rheumatismum acutum simulantes, et evolutionis plicae saepe comites, testantur. Quid? quod huius plicae latentis formae causa, rheumatismi acuti genuini diagnosin in Lithuania arduam aliquando esse, monet J. Frankius (1). Feminam toto sexennio

---

(1) Praxeos Medicae universa praecepta Lipsiae. P. 1. V. 11. S. 1. p. 634.

dolores in variis corporis partibus passam esse, qui formata plica cessarent, tradit De la Fontaine (1). Memoratur etiam femina quae, plica abscissa, quasi rheumatismo universo correpta fuit, ad novam usque eius eruptionem saeviente (2). Musculos in plicosis marcescere, rigescere, consentiunt omnes. Contractura, anchylosi, membra torqueri, apud multos, etiam in Laurentii Starnigelii epistola legimus.

Membranae serosae.

Plicosorum membranas serosas ad extravasata proclives esse, hydropis mentione passim ab auctoribus facta, quodammodo probatur. Membranas synoviales apud plicosos saepe affici articulationum dolores, nodi (3) fungique, quos in Clinico Chirurgico ipsi videndi copiam habuimus, testantur. Idem confirmat Leopoldus Emanuel Binningerus his verbis: « Non solum autem cartilagines et ligamenta relaxat, sed et quandoque ipsa erodit, unde ab eorum succo nutritio effuso, proveniunt calli, tophi et ganglia (4). »

(1) L. c. Zweyte Beobacht.
(2) Vicat l. l. p. 45.
(3) Perzyna l. l. p. 19.
(4) Disser. medic. inaug. de Plica polonica. Basileae. 1702. p. 8.

Hoc loco nonnullorum opinionem commemorare iuvat, qui, plicam originis esse arthriticae criniumque implicationem morbi crisi, quam vocant, adscribi oportere putant. At quam rationem ut infringamus, satis est monere, plicam uni fere terrarum regioni propriam esse, et maxime inferioris loci homines invadere, secus autem arthritidem, in universa Europa, praesertim inter divites obviam (1).

Vasa sanguifera.

Arteriae hominum plica laborantium fere semper debiliter micant. Contra cordis vibrationes in iisdem aegrotis fortes habentur, iisque aliquando similes, quae in hominibus vitiis organicis huius visceris laborantibus accidunt. Cuius rei duo exempla nobiscum communicavit commilito (2), unum agricolae, apud quem plicam detonsam maxima cordis palpitatio subsequeretur, quae non nisi restaurata plica cessaret, alterum hominis, qui resecta plica symptomata angoris pectoris exhibuisset. Quamquam ipsa iam febris plicae evolutioni comitari solita, vasorum sanguiferorum affectionem

(1) Jos. Frank libris laudatis.
(2) D. Cz[illegible]

abunde demonstrat. Quae quidem febris, quippe horripilationibus pomeridianis, caloribus nocturnis, sudoribus matutinis et macie stipata, ad hecticas pertinere videtur. Intermissiones quidem matutinae, saepius suspicionem febris intermittentis movent, quam tamen vanam esse inde apparet, quod ratio medendis febribus istis accommodata, plicosorum illam, de qua loquor, non modo non sanet, verum etiam aegrotorum statum reddat deteriorem. Ceterum febrem, quae plicosis communiter adesse solet, aliquando pro salutari habuerim, quum ea vigente haud raro capillitium cum levamine aliorum symptomatum implicetur. Interea peculiarem febrem eo requiri non putes. Jam dudum enim observatum fuit, capillitium in hominibus plicae germen secum gerentibus intricari inter febrem, cui nihil cum plica commune intercedit. Sic trichoma evolutum vidit Jos. Frankius in typho, scarlatina, febre lactea (1). De la Fontaine viri sexagenarii peripneumonia laborantis meminit, in quo, morbo hoc saeviente, trichoma evolutum est (2). Cuius generis observationibus verisimiliter tribuas, quod Illustris Medicus Varsaviensis Wolffius plicam non esse

(1) L. c. p. 520.
(2) L. e. Erste Beobach.

morbum *proprium*, sed aliorum multorum morborum symptoma accidentale existimet. Quod, si statuere velles, requireretur, ut trichoma non solum in aegris iam ante morbum febrilem ad plicam dispositis, sed etiam in aliis antea plane sanis evolveretur. Id vero nequaquam accidere, inde colligitur quod trichoma in aliis regionibus ubi incolae ad plicam non sint dispositi, nullo in morbo evolvatur.

Praeterea nihil affectionem vasorum sanguiferorum in plicosis magis confirmat, quam *haemorrhoides* in plicosis maxime obvenientes. Intelligimus vero hoc loco non solum de ani haemorrhoidibus, sed de systematis venosi conditione haemorrhoidali. Quod quantum in plicosis afficiatur, docent varices venarum raninarum, extremitatum inferiorum et maxime fungus haemathodes ex exulceratione illarum evolutus, quibus incommodis plicosi tam crebro obnoxii fiunt. Cuiusmodi complures casus in Clinico Chirurgico nostro affuerunt, ut ille infantis trium annorum, cui, ressecta plica, illico fungus haemathodes ad genam sinistram exsurgebat, tum alter agricolae, in quo rescissa plica etiam fungus haemathodes instar capitis infantilis in cancrum degeneratus ad olecranon cubiti dextri eminuit. Jam vero quum ex dictis appareat, systema venosum in plica multis affici modis, miramur quod auctores qui

plicam pro morbo venereo et arthritico habendam esse tam facile sibi persuasissent, eam tamen ad scorbutum non revocaverint. Condonandum id saltem fuisset, quum regio plicoso morbo favens, a dyscrasia scorbutica etiam non aliena sit, quaeque dyscrasia saepe in plicosis, ut morbi complicatio, invenitur.

Vasa lymphatica.

Ne in Chromii (1) circa lymphae vitia in plica hypothesibus confutandis tempus teramus, satis erit meminisse, vix dari plicosum qui glandularum lymphaticarum tum colli, tum sub axillarum aliarumque infarctione non laboraret. Tumores lymphaticos in Judaeo quadragenario, plicae in sua familia frequentiam testante, passim prosilientes, ipsi conspeximus. Quorum unus utroque in femore prope inguina pugni magnitudinem referens, fluctuabat, alter nucham, tertius collum cingebat, mammae vero tam propulsae et inflatae erant, ut feminarum mammas plane simularent. Consuetudo glandularum morbos quotquot sunt, illico pro scrophulosis habendi effecit, ut idem error ad plicosos relatus

(1) L. c. p. 37.

locum obtineret. Sic aegrota plurimis symptomatibus phthiseos pulmonalis affecta, glandulas colli ad instar pugni eminentes habebat una cum mammae sinistrae tumore, qui morbus pro scrophuloso habitus et calomelo, aethiope antimoniali, terra ponderosa salita aliisque sic dictis antiscrophulosis remediis non solum sine successu, sed etiam cum damno curatus fuerat. Cognita ab *Professore nostro Therapiae specialis* indole morbi plicosa, ac praescriptis congruis remediis trichoma evolutum est; quo facto tumores supra memorati simul cum phthiseos symptomatibus admodum resederunt. Si vero quis signa diagnostica inter tumores glandularum plicosos et scrophulosos exposcat, respondebimus plicosorum tumores molliores, ampliores, mobiliores magisque inaequales et dolore vacuos, minusque ad inflammationem et exulcerationem pronos esse. At si tandem exulcerantur, tum non in ulcera benigna scrophulosa, sed in exulcerationes carcinomaticas transeunt. Exulcerationum huiusmodi multa exempla ad labia et mammas conspeximus, conspexerunt etiam alii (1). Hîc vero notandum nobis videtur, quod glandulae ex vitio plicoso

---

(1) Constantinus Porczanko Disser. inaug. Chirurgico-practica de labiorum cancro. Vilnae. 1818.

tumidae priusquam ad statum illum carcinomatosum perveniant, in tumores hodie *encephaloides* nuncupatos, olim vero variis nominibus insignitos, degenerare solent. Sic Erndtelius nobilissimae virginis plicosae meminit, cuius crus sinistrum tumorem (ut eius verbis utar) strumosum maxime difformem exhibuerit. Cuius generis exempla ab experientissimo Dr. Wczelka cum Societate Medica Caesarea Vilnensi communicata fuere. Judaeum, duodecim annos natum, plicosum, cuius antibrachium dextrum tumore encephaloide in tertia morbi periodo obsessum erat, vidimus ipsi. Quales abnormes extremitatum superiorum inferiorumque tumores, Medici in leprae doctrina versati cum illis in elephantiasi obviis comparare solent.

Cerebrum, medulla spinalis, nervi eorumque plexus.

Inter vitia *cerebri* plicosa, primum locum cephalea obtinet. Quae modo futurum trichoma ex longinquo praecedit, modo comitatur, modo eius separationem vel etiam spontaneum lapsum sequitur. Utut sit, haec cephalea omni alia terribilior apparet. Vides enim aegros desperantes ambabus manibus caput volutantes inter diu noctuque non per hebdomadam unam vel alteram,

non per menses aliquot, sed per annos decem (1) et quindecim (2) excruciari. Cuius generis cephalea potissimum a repentinis atmosphaerae mutationibus, a vento, a nebulis, et quod mirum, aliquando a caelo praetermodum sereno, saepissime vero a sermocinatione diuturna, ab animi affectibus et perturbationibus et a pectinatione vel a crinium concinnatione, ne dicam, ab eius recisione excitatur. Cephaleae plicosae haud raro comitatur vertigo, aliquando caduca quae per se etiam in plicosis occurrere solet. Adest aeger plicosus in Clinico Medico nostro, qui ob vertiginem caducam non nisi titubantes ac paene nullos gressus figere per duos menses poterat, remediis in plica laudatis fere ad sanitatem restitutus. In tot tantisque miseriis aegros saepissime somno privari, non est cur cum aliis (3) moneamus. Somnus isque profundus aegrotum tum occupare solet, quum trichomatis evolutio imminet. Quo tempore vel ad plurima

---

(1) Jos. Frank l. c. p. 515.

(2) In nosocomio domus Beneficentiae Vilnensi aegra talis iacet.

(3) Leopoldus Ema. Binningerus l. l. p. 8. « Meninges (plica) irritando diros et atroces dolores cum agripniis inducet, intimius vero, cum ad partem medullosam penetrarit, morbos soporosos, apoplexiam, paralysin. »

nychthemera protractus esse videbatur (1). Praeterea plicosi somniis terrificis obnoxii fiunt. Quid? quod eorum complures hallucinantur, melancholia (etsi haud facile tanta, ut ad mortem sibi inferendam pellantur (2)), ipsaque mania, imprimis saeviente (3), et fatuita (4) tentantur; quae singula mala, comparente trichomate, modo evanescunt, modo perseverant.

Mala plicosa non encephali tantum finibus continentur. Plurima enim in *specu vertebrali*, quin etiam quacunque in vertebra, si dicere liceat, recurrunt. Spectant huc rhachialgiae (5), paralyses (6), convulsiones partium ex variis medullae spinalis locis nervos accipientium (7), epilepsia (8); quae omnia, si pro rei

---

(1) Jos. Frank l. c. p. 520.

(2) Vicat l. c. p. 61—Jos. Frank l. c. p. 515.

(3) Stabel l. c. hist. 4—Dr Fridericus Heckel in agro Wilkomiriensi praxin agens mihique amicissimus, cum Societate Medica Caesarea Vilnensi communicavit observationem.

(4) Joh. Nicol. Binningerus in suis observationibus Medicinae p. 263.

(5) De la Fontaine l. c. p. 17.

(6) De la Fontaine l. c. vierte Beob.

(7) Laur. Starnigelius l. c. p. 30. « Invicem symptomata transmutantur, dolor in convulsionem, convulsio in dolorem (quanquam utrumque simul adesse possit), convulsio ipsa Emprosthotonos in Opisthotonum aut Tetanum, universalis in particularem, particularis in universalem. »

(8) Vicat l. c. p. 38.

momento explanare vellem, dissertationis huius limites migrarem. Satis erit laudare unum idque luculentissimum exemplum *Choreae S. Viti* in plicoso ex vitio medullae spinalis, in Clinico nostro Medico A. 1820. observatae. Rusticus quinquagenarius aetate sua iuvenili diu epilepsia laborabat, quae capillis sub lenissimo formicarum quasi repentium sensu contortiplicatis aegro dormiente, plane cessavit. Ea tamen toties corripiebatur, quoties capilli implicati pectinatione tractabantur. Posthac longum per tempus ab epilepsia tandem immunis, laboribus gravioribus rusticanis incumbebat. At quum in summo caeli calore totam diem messuisset et fesso corpori, radiorum solis aestu ad dorsum praecipue combusto quietem concedere vellet, protinus *Chorea S. Viti* vexari coepit. Octo annos hoc morbo tentabatur. Illius corporis omnes partes fortiter et sine ulla intercapedine concuti et perpetuo fluctuari, vidimus. Quod vero pulchrum adspectu fuit, caput celeri motu rotatorio volutavit, ita ut complicati capilli fusiformes circum circa-caput pendentes, et quasi micantes solis radios mentientes expanderentur. Viginti quatuor cucurbitulae scarificatae, lateribus spinae admotae, morbum confestim tollebant. Nescimus tamen utrum plicosus hic ad tempus modo, an omnino et plane curatus sit.

Dolor *regionis epigastricae* vehemens, aegrumque nunquam fere relinquens, maxime commune plicae symptoma exhibet. Vehementia istius doloris, sedes eius profunda, functiones ventriculi saepe illaesae nec cessantes, levamen quod ab oxydibus nonnullis metallicis, quin etiam a compressione mechanica ei affertur, rationem idoneam suppeditare nobis videntur, qua illum ex affectione *plexus coeliaci* repetendum esse existimemus. Erit igitur dolor iste potius *neuralgia coeliaca*, quam cardialgia. Affecto sic cerebro abdominali quid mirum, si plicosi a tetra molestantur hypochondriasi, si singula illorum viscera abdominalia languent, si denique maxime dispositi sunt ad impressiones manipulationum quae vocantur magneticarum recipiendas? Plicosos autem permultos hypochondriasi laborare, multa experientia didicimus, quo vel efficitur, eiusmodi morbum apud nos non solum inter litteratos hominesque altioris ordinis, sed magnopere inter rusticos utpote plicae maxime obnoxios regnare. Ipsi quidem haud cessant lienem vel uterum accusare ac de daemonibus (1) aut animalibus per intestina reptantibus ibique vagitus edentibus blaterare. Si eos

(1) Jacuit, tali hypochondriasi affictus, rusticus plicosus in nosocomio Sororum misericordiae.

magnetismo animali subiicias, facillime in consuetas magnetice somniantium hallucinationes incidere observabis; quos phantasiae aberrantis effectus, simperitorum omnis generis vulgus tanquam oracula admirari solet. Vitiato systematis nervosi statui universo tribueremus quoque idiosyncrasias, quibus plicosi prae ceteris hominibus afficiuntur. Quas inter frequentissimas est horror sanguinis, cuius guttulae paucae conspectae plicosos saepius in lipothymias vel alioquin iis familiares, coniiciunt (1). Maxima hominum vitio plicoso contaminatorum pars ova sorbilia perhorrescit (2).

Sensus instrumenta.

Praeter idiosyncrasias, *sensus* vitiis longe maioris momenti excruciari solent. Quod praecipue docent tot *oculorum* in plicosis mala. Et liceat hic Medici ocularii simulque de plica egregii scriptoris apponere verba. Ait nempe *De la* Fontaine: «Es ist vielleicht kein Land, worin man so viele Blinde mit Flecken der Hornhaut antrift, als hier, die, theils vom *Weicherlzopfe*, theils von den Blattern, theils von

(1) Jos. Frank in praelectionibus.
(2) Ibidem.

andern Uebeln herrühren» (1). Jam praeterquam quod morbus proprie dictus oculos detineat, in magno plicosorum numero, corneae marginem exteriorem a circulo livido duas tresve lineas lato insignitum, videre licet (2). Sunt plicosi quorum oculi ita lacrimis innatant, ut visus inde intercipiatur (3). Dystichiasis aliis in regionibus adeo rara, ut illius existentia a Cel. SCARPA negetur, in plicosis obvia est (4). Praeterea in plicosos causae generales ophthalmiae praesertim rheumaticae vim exercent. Quae ophthalmiae si semel in plicoso evolutae fuerint, nisi in primo morbi aditu rite curentur, facillime chronicae fiunt, cum magna ad *pannum* et quandoque ad *staphyloma*, quin etiam ad *cancrum* proclivitate. Observabis enim vasa sanguinea varicosa coniunctivae ex tota oculi superficie ad corneam decurrere, illiusque limites transgredi. Inflammationem internis etiam oculi partibus non parcere, testantur exempla hypopii (5) et cataractae (6), praecipue ex vitio humoris

(1) DE LA FONTAINE l. c. p. 63.
(2) Observatio Jos. FRANKII.
(3) Jos. FRANK l. c. p. 516.
(4) Ibidem.
(5) DE LA FONTAINE l. c. neunte Beobach.
(6) DE LA FONTAINE l. l. 12-13-14-15 Beob ... et nos multoties observavimus.

Morgagniani (1), post resectionem plicae observata. Nihil vero ex partibus numerosis quibus oculus constat, tam crebro et vehementer a vitio plicoso petitur, quam systema illius nervosum. Inter plicosorum enim symptomata imprimis rescisso trichomate, recenseri merentur photopsia (2), diplopia (3), nyctalopia (4), et maxime amaurosis (5), cuius ipsi plurimos observavimus casus. Nec silentio praetereunda observatio facta in plicoso immobilitate musculorum oculo-motoriorum laborante, adeo, ut nisi universum caput in rem aliquam convertisset, eam nequaquam cernere posset.

Systema nervosum *aurium* (copiosissimo cerumine redundantium) (6), frequentius etiam in plica laborat. E centum enim plicosis vix unum invenies, qui de susurru, tinnitu, bombo aurium continuas non edat querelas. Eorum plurimi susurrum ab aure ad ipsum cerebrum

---

(1) De la Fontaine l. c. p. 72-74-76.

(2) Jos. Frank l. c. p. 516. « Judaeus plicosus, in cubiculo obscuro degens, illud aliquando inopinate sibi inclarescere retulit. »

(3) Jos. Frank l. c. p. 516.

(4) De la Fontaine quatuor fratrum nyctalopia laborantium curam habuit, quae evoluta plica in omnibus disparuit. l. c. zehnte Beob.

(5) De la Fontaine l. c. zehnte Beobach.

(6) De la Fontaine l. I. p. 17-Sprengel Institutiones Medicae T. IV. Amstelodami. 1814. p. 770.

propagari ac perceptionem impressionum ab aliis sensibus suppeditatorum impedire queruntur. Hallucinantur praeterea nonnulli plicosi praesertim inter rusticos hactenus, quod tot auditus molestias irrepto gryllo in meatum auditorium tribuant, quod pluries in Clinico Medico observare mihi contigit. Ad rariora autem vitia pertinent, auditus duplex quo plicosa quaedam laborabat (1). Nec vulgare seu commune sequens exemplum nobis videtur, quod a condiscipulo quondam, nunc Medico in agro Szaweliensi, D. Theodoro Sawickio relatum et mecum per litteras communicatum refero. Puella nempe e stirpe plicosa originem ducens, iam a nonnullis annis surda, a fulminis ictu prope eam lato asphyctica humi cecidit, sed quum auxiliis solitis ad vitam revocata esset, en extemplo plica evolvitur non solum in capillitio, sed etiam in partibus genitalibus, restituta simul audiendi facultate.

Et *olfactum* in plicosis mutari Chromius testatur (2). In coryzam enim facillime incidunt, quam neglectam, haud raro sequitur blenorrhoea nasi, quae exulcerationibus relictis, tandem in cariem ossium nasalium evadit. Quin

---

(1) Jos. Frank l. l. p. 517.
(2) L. c. p. 27.

etiam *ozoenam* morbum plicosis communem esse contendo. De quo, si quis dubitaverit, adeat quaeso Nosocomium Vilnense *S. Jacobi* dictum, cui praefectus est medicus egregius Barankiewicz, quique multa hujus generis exempla proferet quaerenti. Ozoenae vero qua plicosi laborant cum cancro nasi copulatio aliquando observata, utriusque morbi affinitatem prodere videtur. Quidquid sit, cavendum ne plicosas ozoenas cum venereis confundamus. Illae ab his curriculo longe celeriore maxime distinguuntur. Sic rusticum, de quo supra laudatus D. Sawicki ad me scripsit, recisa plica, brevi temporis spatio ozoena cariosa tentavit.

Dentes plica laborantium, vitia plurima aliis ossibus communia habere verisimile fit, quum tales aegros raro sanis et formosis dentibus praeditos conspicias. Plurimos etiam plicosos queri meminimus, dentes eorum deteri. Et *halitus* eorum sive ex dentium corruptione sive ob alias rationes fere semper ingratus est. *Gingivae* autem non tam frequenter pessimum statum produnt. Epulidem insolitae magnitudinis cum mandibulae corruptela vidimus in puella decenni, parentum plicosorum sobole, quam admirabili operatione Cel. mihique summa observantia prosequendus Professor Chirurgiae Venceslaus Pelikan sustulit, ac deinde commilito Laurentius Woytkowski

descripsit (1). Etsi ulcera etiam fauces plicosorum occupantia hoc loco commemorare possim, tamen, quum aegrum iis laborantem strictim tantum conspexerim, ideoque an in eo syphilitici quid simul affuerit nec ne, pro certo affirmare non ausim, mentionem hanc silentio praeterire malui.

Tactum pariter atque alios sensus in plicosis laedi, tam ex aliorum quam ex nostris observationibus constat. Vidit nempe Chromius partem capillatam capitis in plicoso omni sensu destitutam (2). In Actis Clinicis nostris sequens enarratur casus: « Triginta annorum femina, plica laborans die sexta Octobris 1810 ad Clinicum Medicum suscepta, in publico examine cutem extremitatum superiorum ab apicibus digitorum ad cubitum usque, ac inferiorum ab apice digitorum ad genua usque, absente omni paralyseos suspicione, adeo insensilem exhibuit, ut nec acuum puncturam, nec aestum aquae fervidae persentiret. Ipsa per tria horae momenta acidum nitrosum concentratum sine omni dolore in manus cavo tenebat (3).» Aliquando vero cutis sensibilitas

(1) Disser. inaug. Chirurgico-practica de Epulide, Vilnae 1820.
(2) L. c. p. 23.
(3) Vol. III. p. 33. 1812. Lipsiae editis, auctore Jos. Frank.

in plicosis potius aucta invenitur. Jam supra monuimus, crinium attactum, capitis in plicosis refricare dolorem. Conveniunt hinc et nostrae observationes cum iis a Chromio allatis (1), cutem in parte capillata quandoque admodum sensibilem esse. Praeter defectum et excessum sensibilitatis cutis etiam vitia quae a *modo* Medicis dicuntur animadvertere licet. Intelligimus enim *sensum formicationis*, nunc per universam cutem, nunc per extremitates potissimum inferiores in plicosis crebro obvenientem. Praeter tactus vitia,

Cutis

in plicosis et alia memorabilia phaenomena exhibet. Ordiemur a *transpirationis* negotio. Licet Giliberto contendenti, feminarum Lituanarum transpirationem Aethiopum illi similem esse (2), omnino assentiri nequeamus; tamen fateri cogimur in earum plurimis, quae vel ex familiis plicosis descendunt, vel plicam evolutam gerunt, fortasse etiam in aliis, specifici quid odoris verbis non designandum per cutem exhalari. Quodsi specifica ista feminarum trans-

---

(1) L. I. p. 23.
(2) Advers. med. pract. prima. Lyon. 1791. p. 313.

piratio vitio plicoso tribui debeat, magna difficultas inde oriretur, cur mares eodem morbo detenti similem non spargant odorem? Ceterum nec illorum sudor quamvis singulari hoc foetore destitutus, ambram redolet, praesertim accedentibus sudoribus illis copiosis viscidis, qui trichomatis evolutionem saepe comitantur.

Hîc iam locus esset effectus, quos vitium plicosum in crines et pilos corporis humani exercet, describendi. At quum doctrinae hanc partem, auctores quotquot de plica scripserunt, praesertim LAURENTIUS STARNIGELIUS (1), SCHULTZIUS (2), A GEHEMA (3), LEOPOLDUS EMANUEL BINNINGERUS (4), J. F. BACHSTROHMIUS (5), STABELIUS (6), ERNDTELIUS (7), JUCHIUS (8), VICATIUS (9), GILIBERTUS (10), DE LA FONTAINIUS (11),

---

(1) Litterae in HERCULIS *Saxoniae* opere.

(2) Disser. de Plica Polonica. Lugd. Batav. 1648.

(3) Diss. de morbo vulgo dicto Plica polonica. Hamb. 1683.

(4) Disser. medica inaugu. de Plica polonica. Basileae 1702.

(5) Disser. de Plica Hafniae. 1723.

(6) Disser. singulares observationes de Plica polonica. Hal. 1724.

(7) Varsavia physice illustrata. Dresdae 1730.

(8) Disser. de trichomate seu Plica polonica Sarmatiae endemica Erf. 1734.

(9) Memoire sur la plique polonaise. Lausan. 1775.

(10) Adversaria med. pract. prima. Lyon 1791.

(11) Chirurgisch-Medisinische Abhandlungen verschiedenen Inhalts Pohlen betreffend. Breslau und Leipzig 1792. Dziennik zdrowia dla wszystkich stanów w Warszawie 1801. N. 6. 7.

Perzyna (1), Kohen (2), Schlegelius (3), Alibertius (4), Gembickius (5), Chromius (6), Sprengelius (7), Jos. Frankius (8), Gascius (9), Hartmannius (10) singulari studio persecuti sunt, eadem hinc tam plene pertractata sit, ut nos illi propria quippe experientia non satis adhuc muniti, nihil addere possemus, ne toties dicta solum repetere cogeremur, ipso iam dissertationis huius indice docente, silentio eam praeterire maluimus. Progredimur igitur ad alia systematis cutanei vitia, initio facto ab *unguibus*. Eos in duobus infantibus feminae plicosae in Clinico Medico nostro decumbentis ab

---

(1) Lekarz dla wloscian czyli rada dla prospólstwa w Kaliszu 1793.

(2) De dubio Plicae polonicae inter morbos loco 1801.

(3) Ueber die Ursachen des Weichselzopfs der Menschen und Thiere, die Mittel denselben zu heilen in kurzen auszurotten und dem dadurch entvölkerten Polen seinen ehemaligen blühenden Wohlstand wieder zu verschaffen. Iena. 1806.

(4) Description des maladies de la peau. Paris 1806.

(5) Disser. de singulari pilorum vegetatione morbosa, quam trichoma dicunt. Erfurt. 1808.

(6) Neueste Ansicht des Weichselzöpfes in seiner Grundursache. Freiberg = Versio Polonica. Cracoviae. 1809.

(7) Institutiones medicae T. IV. Amstelodami 1814 de trichomate.

(8) Praxeos medicae universae praecepta P. II. V. I. Sect. I. Lips. 1814.

(9) Memoires de la societé de médecine Paris. 1817.

(10) Kritische Untersuchungen über den Weichselzopf, in Hufelandii Journal 1819 July p. 1.

ipsis incunabulis corruptos vidimus. Poro plurimi plicosi habebant ungues scabros incurvatos, phalanges ultimae nodosae digitorum manuum pedumque insidentes cum musculorum subteriacentium dolore (1). Cuiusmodi dolor praesertim recisionem unguium sequi solet, quin etiam exstant casus, qui recisionis huius effectus aliquando multo latius etiam extendi doceant. Ita De la Fontaine monachi meminit toties ophthalmia laborantis quoties ungues abscindendos curaret (2). Nec fugit nos observatio Mangetti feminam nobilissimam plicosam omnes ungues amisisse (3). Universa tandem cutis plicosorum ad *impetigines* omnis generis exhibendas prona est. Prae aliis *erysipelati* obnoxia est, ulcera adspectu saepe cancrosa imprimis ad extremitates inferiores relinquenti. Saepe *urticatio* cum summo pruritu plicosorum cutem adurit. Saepissime autem facies *gutta rosea nodosa* deformatur. Quid? quod tantus nexus inter hanc impetiginem et trichoma observatur, ut in ancilla in urbis nostrae Ptochotropheo (Dom Dobroczynnosci) auxilium quaerente, et rite curata eodem tempore et

---

(1) De la Fontaine l. c. fünfte Beobachtung.

(2) L. c. siebente Beobacht.

(3) Bibliotheca medicinae practicae lib. XIV. p. 296.

modo quo crines conglutinabantur, gutta rosea profligaretur. Denique, ne quid colorum desit, cutis etiam universae *livor*, fere *morbum caeruleum* aemulans, in plicosis interdum conspicitur. Testes sint observationes VICATII (1) aliaeque in Clinico Medico nostro collectae. Nec raro plicae comes apparet *lepra* tam *squamosa* quam *nodosa*. Ex plurimis exemplis, quae mihi in Clinico Instituto Medico conspicere licuit, duo in medium afferam. Femina triginta annos nata, e parentibus plicosis orta, ipsaque infantes plicam gestantes partu enixa, post praevios animi affectus a saevo capitis dolore, aurium susurru, pectoris oppressione, vigiliis, et febre correpta fuit. Quinto morbi die inter sudores continuos eosque foetidos impetigo evolvebatur, in parte capillata capitis, tineae adspectum exhibens, in facie vero, collo, nucha, pectore, extremitatibus superioribus leprae squamosae similis. Cuius impetiginis evolutio veluti crisin omnium malorum excepto capitis dolore afferebat, a quo denique congruis auxiliis liberata fuit, profligata simul ex parte impetigine. Judaea trigesimum quintum annum ingressa, morborum parentum suorum parum memor, in infantia adhuc variolas

(1) L. l. p. 38.

morbillosque feliciter superaverat. Primo et vigesimo aetatis suae anno quum viro nupta fuisset, menstrua primum prorupuerunt, deinceps quidem nunquam regularia, sed modo accelerata modo retardata. Mater demum duorum liberorum facta, secunda semper valetudine fruentium, vitam longa morborum serie turbatam trahebat. Decies enim febre intermittente tentabatur, et per totum decennium oculorum morbo laborabat. Saeva insuper cephalea formicationisque sensus inter cutem crebro redibant. Evoluta plica, omnium malorum saevities cessavit. Sed quum religionis suae praeceptis obediens, totum capillitium sibi abstulisset, omni cruciatuum generi haud secus ac si sub favilla delituissent, iterum renovando via patefacta est. Tribus deinde exactis annis, catamenia iam amplius non fluxerunt. Anno vero 1812, bello grassante, aerumnis terroribusque iactata, viribus sensim fracta, tandem genu dexteri acerrimo dolore, vel minima aëris vicissitudine, recrudescente, vexari coepit. Oborto iam tibiae dolore illiusque intumescentia magis magisque aucta, extremitas haec tam difformis reddita est, ut elephantis potius quam hominis pedem referret. Phalanges enim digitorum tantum imminebant, a dorso vero pedis ad genu usque columna livore tincta, tuberculis variae magnitudinis obsessa

insurgebat, dimidium ulnae in circuitu adaequans. In ipsa pedis articulatione numerosi nodi verucosi haerebant. Durante huius diri morbi tres quatuorve per annos evolutione, aegra vel vigiliis vel somniis terrificis affli-ctabatur, labentibus continuo viribus. Vidimus eam macie peremptam. Cutis eius universa squamis, intervallis lividis interiectis, hirsuta circa aures escharis albis pressa, circa cubitos rhagadibus insignita, apparebat. Qua cutis morbosa mutatione illata, sensibilitas eius tamen mansit illaesa; neque vocem nasalem nec raucam aegra edebat. Transpiratio, ut eius verbis utamur, cadaveris odorem referebat. Pulsus fuit valde debilis. Diarrhoea vero colliquativa exiguam vitae superstitis scintillam paene extinguebat. Et vana artis nostrae fuerunt conamina, ut iam iam corruentem machinam suffulciremus; misera enim paulo post animam efflavit. Cadaveris sectio quo minus institueretur Judaeorum superstitiones prohibuerunt. (1).

---

(1) J. Frank in Pamietnik Towarzystwa Lekarskiego Wilenskiego T. II. 1819. p. 151.

Ceterum nemo mirabitur, morbum plicosum adeo infestum systemati cutaneo neque viis respirationis cum cute tam arcte copulatis parcere. Nec sermo hîc est de affectionibus transitoriis pulmonis, sed de illis gravioribus, quas videre licuit LAFONTAINIO (1), CHROMIO (2), STABELIO (3), PERZYNAE (4), VICATIO (5), quorum primus fortasse nimium plicae tribuit, contendens, se peripneumoniam gravem, irritis antiphlogisticis, sola crinium contortiplicatione dissolutam vidisse (6). Suspicari licet Cl. Virum forsan *bronchitidem*, cuius natura eius aetate nondum tam subtiliter explicata fuit, pro peripneumonia habuisse. Bronchitides enim chronicas, nisi ex plica ipsa aliquando pullularint, ei saltem comitari, ex observationibus in Clinico Medico nostro factis, apparet. Quarum unam in praesens afferre satis habeo, in Actis Clinicis Jos. FRANKII expositam (7). Virgo enim febricula et macie confecta,

(1) L. l. dritte Beobach.
(2) L. c. p. 26.
(3) L. c. hist. 8.
(4) L. c. p. 19.
(5) L. c. p. 38.
(6) L. c. erste Beobach.
(7) Vol. III. p. 83.

quotidie sputa copiosa cremoris lactis referentia colorem reiiciebat, quae tamen a subcarbonate potassae non admodum coagulabantur et prodeunte trichomate cum reliquis morbi fere desperati signis evanuerunt. De altero casu Wróblewskius medicinae Doctor me certiorem fecit. Scilicet medici, quondam huius scholae alumni, nunc in viciniis artem salutarem cum laude exercentis, uxor, post febrem catarrhalem in hecticam incidit, macie, tussi fortissima, ultra annum durante, sputis nunc sanguineis, nunc purulentis, sudoribus nocturnis, diarrhoea colliquativa insignitam; quae evoluta plica a malis istis ad hunc usque diem plane liberata est. Similem casum Alibertus narrat (1). Sed multo etiam graviorem proferre iuvat. Ante duos annos civis Vilnensis, musicae operam navantis, coniugem febris catarrhalis adorta est, quae neglecta, praecipua vomicae pulmonis exhibuit signa. Horrores enim pomeridianos calor urens excipiebat (accedente delirio et tendinum subsultu), subsequentibus sudoribus copiosissimis nocturnis. Aegra emaciata, respirationis difficultate et crebra tussi cum sputis copiosissimis puriformibus vexabatur. Inter tres medicos, aegrae consilio suo levandae advocatos, unus, morbum sine omni dubitatione

(1) Description des maladies de la peau. Paris 1806. §. 86.

pro vomica habendum esse, pronunciabat. Contra duo reliqui liçet vomicam fortasse latere posse, haud negarent, tamen suspicionem bronchitidis febre lenta nervosa stipatae, ideoque salutis recuperandae spem alere malebant. Et revera, eadem causa, quae bronchia et systema nervosum male affecerat, ad capillitium verisimiliter conversa, trichoma excitavit. Quo facto aegrota Orci faucibus paene obiecta, in pristinam valetudinem restituta est, qua etiam nunc gaudet. Absit vero a nobis, ut credamus, plicam solis bronchiis infestam esse. Sectio enim cadaveris hominis plicosi, qui fungo haemathode brachii laborans ad Clinicum Chirurgicum nostrum apportatus, et facta amputatione, multo post tempore phthisi absumtus fuit, ostendit, externam superficiem pulmonum pericardiique variis in locis tumoribus cerebriformibus obsessam, quin etiam ipsum pulmonum parenchyma eadem massa conglobata passim interceptum, teste *Praeparato*, in museo pathologico Universitatis nostrae conservato. Casus iste persimilis videtur, illi quem BICHATI aemulus, BAYLIUS, sub nomine *phthiseos cancerosae* exhibuit (1). Eidem cognatae sunt etiam observationes ab alio

(1) Recherches sur la Phthisie pulmonaire. Paris 1810. p. 309.

egregio scriptore Gallico LAENNEC, collectae in capite *des Encephaloïdes du poumon* (1).

Tubus intestinalis.

Nec affinitati inter systema cutaneum et tubum intestinalem symptomata plicae adversantur. Commilitonum meorum duo mihi narrarunt: se plicosas cognovisse, in quibus toties ructus erumperent, quoties capillitium intricatum perfricaretur. Verum etiam sine crinium attactu plicosi haud raro ructus cum eiulatu edunt. Pica autem eorum complures laborare, adeo ut vel aeruginem comedant, feruntur (2). Quod tamen nosmet ipsi nunquam observavimus. Nec confirmare possum LAFONTAINII sententiam, quasi plicosi, loco etiam et conditione ac vitae cultu magis insignes prae aliis hominibus liquorum fermentatorum abusu delectentur (3). Immo plicosos potius sobrios reperi, nec liquorum fermentatorum vel tantillum, sine manifesto mali incremento, ferentes. Quorum plurimi, quum primum guttam alcoholis

(1) De l'auscultation médiate ou traité du diagnostic des maladies des poumons et du coeur, fondé principalement sur ce nouveau moyen d'exploration. T. I. Paris 1819. Art. 6. p. 312-322.

(2) VICAT l. c. p. 46.

(3) L. c. p. 18.

ventriculo ingesserint, confestim summo faciei rubore tincti conspiciuntur. Ceterum condonandum foret in plicosis desiderium liquorum fermentatorum, cum parum cibi assumant. Laborant praeterea tanta alvina segnitie, ut saepe in hebdomade semel alvum deponant. Quamquam interdum etiam diarrhoea cum plica cohaesisse visa fuerit, teste VICATIO narrante, diarrhoeam sanguinolentam cum dolore abdominis plicosum diu cruciasse, subsequente brachiorum paralysi, ossium dolore, aurium susurru; quae omnia mala implicatis capillis evanuerint (1).

Hepar et lien.

Quum dolor, quo plicosi in dextro saepe hypochondrio vexantur (2), tum tensio huius hypochondrii quam in permultis plicosis ipse reperi, de hepatis quoque in morbo hoc affectione suspicionem facile movent. Quam etiam confirmavit sectio cadaveris Principis feminae plicosae atque hydropicae, a JOHANNE PETRO FRANKIO Vilnae tum degente instituta, qui hepar in massam adiposam prorsus commutatum invenit. Cuius feminae fratrem sine

---

(1) L. c. p. 45.
(2) Jos. FRANK l. l. p. 518.

plica evoluta, hydrope cum magna hepatis obstructione demortuum haud dudum Jos. Frank vidit, quamvis cadaveris sectione interdicta. Quae quidem difficultas, cadaverum sectioni apud nos saepius obiecta, fortasse etiam Medicorum in iis perlustrandis passim incuria potissimum accusandae sunt, quod de lienis statu nullas adhuc colligere observationes nobis licuerit.

Renes, ureteres et vesica urinaria.

Eandem ignorantiam quoad Anatomiam pathologicam organi uropoietici in plicosis fateri cogimur. Interea harum partium mala in plicosis nimis manifesta sunt, quominus de huiusce systematis affectione dubitare liceat. Lotium enim plicosorum utplurimum, ne dicam semper, iumentosum atque ad sedimentum lateritio-puriforme deponendum inclinat. In nonnullis urina clara copiosa secernitur (1). Ab ipso *diabete* plicosos haud immunes esse, Acta nostra Clinica docent (2). Nec deest ischuriae in plicoso, triduum perseverantis,

(1) Jos. Frank l. c. p. 519.
(2) Vol. III. p. 92.

quente em
one, an
nere ne

rtes

... in Polonia ...
bum suspicatur (2). Cui ta...
ea quod taediosa haec aegritu...
regionibus septentrionalibus, plicae non ...
xiis, communis sit, assentiri nequeo. Propior
a vero alia laudati auctoris observatio videtur, plicosarum menstrua irregularia, serosa, foetentia esse Argumentis autem, quae plicosarum fertilitatis vel sterilitatis rationem docere possint, omnino me destitui vehementer doleo. Attamen si exempla satis numerosa per biennii praxi Medicae consecrati curriculum mihi obvia facta, colligere velim; si aegrorum plica laborantium et a matribus plicosis generatorum, illa, in memoriam revocem, plicosas magis fertiles esse quam exoptandum foret,

---

(1) Jos. Frank l. c. p. 519.
(2) L. c. p. 26.

ut nefandae aegritudinis propagationi limites tandem ponerentur, mihi persuasum est. Ad partes genitales marium quod attinet, nec apud auctores, nec mea edoctus experientia aliquid notatu valde digni reperi. Quam ob rem hîc subsisto, haud quidem ignarus, specimen hoc meum valde mancum esse et imperfectum, cui subtilius elaborando ac perpoliendo longiore tempore opus esset. Nimis enim brevi Academicorum studiorum cursu coërceor, quo minus in arena, in quam, ne iusto audacius descenderim, vereor, latius exspatiari possim. Sin vero, Supremo Numine annuente, crebriore in Praxi exercitatione rusticos inter plebeiosque nostrates, utpote plica prae aliis oppressos, quaedam olim iam perfectiora colligendi copia data fuerit, oblatam opportunitatem mihi gratulabor. Id enim maximi faciendum esse statuo, ut utilissimo huic quanquam tenuissimo at maxime calamitoso incolarum generi auxilium feratur. Hi nempe sunt tenuiores, qui Medicorum operam iure poscunt, quibus obsequi, Medici humanitatis et officii memores, arctissimo vinculo obstringuntur.

FINIS

SECUNDI VOLUMINIS.